Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Bernhard Kenckel

De Veritate Unicae Religionis Christianae, Et Aliarum Quae Praeter Hanc In Mundo Sunt, Falsitate : Disputatio

Helmestadii: Mullerus, 1681

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0001

86

Theolog. Dissertationen
36.

Fa - 1092 (88)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0002

DE

VERITATE VNICÆ RELIGIONIS CHRISTIANÆ,

ET ALIARUM QVÆ PRÆTER HANC IN MVNDO SVNT, FALSITATE.

DISPVTATIO

AUTORE

BERNHARDO KENCKELIO.
Tunderâ Holsato.



HELMESTADII,
Typis Hæredum HENRICI DAVIDIS MVLLERI.
Acad. Typogr.
Anno cIↃ IↃC LXXXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0003

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

VIRO

Maximè Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo

DN. STEPHANO KENCKELIO,

S. Theol. Doctori celeb. Ecclesiæ Tunderensis Pastori primario, ejusdemque & Lügomonasterienſ. Diœceſ. in Sereniſſ. Ducatu Sleſvicenſi, Præpoſito gravisſimo.

Domino Parenti ſuo omni pietatis cultu æternùm devenerando colendoq.

Obſervantiam debitam

offert

filius obſequioſisſimus

BERNHARD Kenckel.

NEmo temere ignorat, præter Christianam Religionem, unicam illam in quâ sperari æterna salus potest, exstare in mundo inter homines à totis gentibus receptas tres alias falsas, quæ Cultores suos Religionis fine, i. e. animarum salute defraudent, eosque in exitio & condemnatione relinquant, quæ verò extremam pernitiem effugere doceat, viamque certam ad salutem ostendat, præter Christianam nulla est. Multa quidem sunt & magna, quæ sibi jure vindicant Hebræi, nulli in toto orbe sunt libri, illis, qui antiquitùs scripti in hunc usque diem à Judæis religiosa sollicitudine integri & illibati conservantur, ætate pares. Omnia omnium cœterorum populorum monumenta longo hic intervallo à tergo relinqvun-

qvuntur. Hinc fit, ut vera Religio esse non possit, quæ cum Judaica nihil commune habeat, aut antiquissimos illos, de quibus dicimus libros, æquè ac Judæi non receperit, & admiserit. JUDAICAM tamen Religionem, quæ hodiè est à veteri prorsus degener, veram non esse, è præsenti disputatione constabit, in qua etiam contra PAGANOS, & MOHAMMEDANOS agitur: Insufficientiâ insuper RELIGIONIS merè NATURALIS ostensâ. Non diu autem quærendus fuit, cui potissimum has chartas nuncuparem, TIBI enim VENERANDE DOMINE PARENS post DEUM debeo omnia; Non tamen id jam agam, ut paterna TUA in me merita dignis laudibus efferre tentem, quorum vel numerum comprêndere non est; Nec aliâ mente accedo, quàm ut publicè observantiam, & quam debeo venerationem profitear, omninò persvasus præstare, ut tenue potius & exile, quàm plane nullum gratitudinis pietatisque erga OPTIMUM PARENTEM in publico exstet monumentum. Acceptorum ergo, quæ nunc verbis

verbis taceo, animo tamen quotidiè mecum recolo, beneficiorum, has, quas piâ mente manuque offero pagellas, testimonium, pariterque gratitudinis debitæ pignus esse volui. Accipe quæso VENERANDE DOMINE PARENS, hoc, quicquid est opellæ, &, sicut facere consveviſti, non ex tenuitate apparatûs, sed ex offerentis animo filiali, eoque obsequiosissimo æstima. Ego interim ÆTERNUM NUMEN nunquam non supplicibus rogabo votis, velit jubeatque TE, cujus vita, mea vita; cujus salus, mea salus; omni felicitate indies auctum florentemque sedibus mortalium quam diutissimè interesse. Scribebam in Illustri JULIA, quæ est Helmstadi Saxonum Calend. Augusti, Anno clɔ Iɔc LXXXI.

עמי עשו

DE

VERITATE VNICÆ RELIGIONIS CHRISTIANÆ, ET ALIARUM, QUÆ PRÆTER HANC IN MUNDO SUNT, FALSITATE.

CAPVT I.

Ostendens, quanam sit fides aut Religio Christiana.

QUicunque hominum prælucente ratione agnoscunt esse Deum, agnoscunt item benevolam ejus προνοιαν, qua creaturas, & inter has imprimis humanum genus regat; agnoscunt tandem animæ, illius nobilis nostræ, immortalitatem; quæ quidem veritates omnes indissolubili nexu inter se sunt devinctæ: Illi nihil causæ dicere possunt, quin admittant, Deum illum non tantum voluisse consulere nobis hominibus de aliquâ hujus nimiùm brevis vitæ felicitate, sed de tali maximè bono prospexisse, quod animam post hanc etiam vitam adhuc superstitem sequeretur, eamque perficeret.

II. Non potuit autem non ille Optimus maximus Deus rationem quoque & modum aliquem consequendi tale animæ bo-

mæ bonum constituisse, eumque vel per insitum nobis intellectus lumen præmonstrasse, vel, si hoc tali muneri impar futurum esset, ipse è suæ sapientiæ penu benignius impertire voluisse. Modum porro illum & rationem consequendi illud post hanc vitam animæ nostræ conveniens bonum in aliquo oportet positum fuisse, per quod Deus, in cujus solius voluntate futurum erat, animam perennante quadam felicitate afficere, ad hoc beneficii conferendum ab homine quodammodo induci posset.

III. Non apparet autem, quid cogitare liceat aliud, præter cultum illius, humillime ab homine secundum Dei præscriptum præstandum. Nam aliis bonis nec indiget Deus, & homini alia, quæ maximo illi Domino offerat, suppetunt nulla.

IV. Et sanè mens nostra, quando aciem suam intendit, ex seipsa quodammodo novit, Numen ab homine coli velle; neque nihil omninò attingit illius, quo Deus ab homine ceu rationali creatura coli & honorari expetat. *Summa* videlicet *religionis est, imitari quem colas*: ut pulchrè observavit S. Augustinus, & Seneca: *Deum ex omnibus animalibus homo intelligit, ut solus imitetur.* Plato quoque, Pythagoras, Stoici, finem hominis dicebant esse ὁμοίωσιν τῷ θεῷ, & hanc collocabant in colenda virtute & sapientia κατὰ τὸ δυνατὸν *quatenus homo posset.* Cultissimi tamen hominum, imò gentes integræ moratiores, ab antiquo hîc suo intelligendi acumini diffisæ, persuasissimum habuerunt, rectiorem & tutiorem supremi numinis colendi, ejusque favorem in se derivandi rationem non satis inveniri posse, adhibito in consilium solo naturalis intellectus dictamine, sed ab ipso optimo Deo proximè nobis, & luculentius ac copiosius manifestari, sive, ut hodie loquimur, revelari oportere. Atque

libr VIII de C. D. c. 17. 2. de Irâ cap 16.

que hinc in constituenda religione, magno consensu semper â populis ad revelationes itum fuit, qua de re infra plura dicemus. Circumtulerunt itaque pro constituendo cultu Deo debito, & eidem unicè placituro revelationes quasdam ipsi quoque Ethnici, seu, pagani olim dicti; provocarunt semper ad eas Judæi, populorum antiquissimi: gloriari quoque de iis ceperunt hodierni per ingentia orbis spatia diffusi Muhammedani: vendicant sibi easdem præcæteris modò nominatis præcipuo quasi jure illi, qui vocantur Christiani. Quin hi ipsi, postquam ab aliis revelationum divinarum in sanciendâ vera religione tum necessitas, tum existentia fuit agnita, haud præter rem contendunt, aut nullam esse in orbe earum religionum, quæ quidem ad revelationem divinam se recipiant, veram, sive, veram colendi Dei, & felicitatis post hanc vitam consequendæ rationem; aut, solam suam Christianam Religionem hoc nomine honorandam venire.

V. De Revelationum itaque divinarum quibus religio Christiana innititur, imò de hujus ipsius Veritate, animus nobis est in præsentiâ nonnihil commentari. Vbi libenter quidem fatemur, negotium hoc â viris consummatæ eruditionis, veteribus & recentioribus, dudum occupatum, & prolixè atque curatè fuisse discussum: neque tamen ideò nobis vitio ab æquis hominibus datum iri speramus, si præclarè dudum inventa gratâ mente in nostrum usum convertamus; & post tam uberem aliorum messem, nobis etiam forte spicilegium saltem aliquod erit relictum. Nihil quoque vetat, res easdem aliâ atque aliâ formâ vestitas in medium prodire.

VI. Videtur autem ipsa rei natura statim flagitare, ut in antecessum ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ aperiamus, quænam sit illa Fi-

des, illa Religio nostra Christiana, cujus veritas nobis sit asserenda. Ad hanc verò quæstionem ut distinctius responderi possit, monemus ante, Christianam Religionem in suâ substantiâ tria ferè complecti *primò*, doctrinam fidei, seu, eorum, quæ credenda præcisè sunt homini Christiano. *Secundò*, doctrinam mysteriorum, seu Sacramentorum, quibus idem Deo vel ad fidem & bonam conscientiam servandam primum obligatur, vel in hac & ista confirmatur & roboratur. Denique & *Tertiò*, doctrinam morum, ex cujus præscripto eum vivere oportet, ne gratiâ Dei per fidem obtenta denuò excidat, si hanc bene agendi normam sciens volensque transgrediatur. Et hæc distributio etiam B. Luthero præfat. articulorum Smalcaldicorum videtur placuisse. *Ritus* aut *ceremoniæ ad ordinem & decorum Ecclesiæ ab hominibus institutæ* ad substantiam Religionis non pertinent, & hinc *nec necesse est ubique esse similes:* Ubi tamen prudenter sunt constitutæ, servari oportet, ne superiores contemni videantur, vel proximus offendatur.

Conf. Aug. Art. 7.

VII. Nunc ad quæstionem respondemus: Quod itaq; *Credenda* illa attinet, fides Christiana sub novo, ut loquimur, Testamento, ea est, quam juxta totam Scripturam Sacram Canonicam nobis exhibet Symb. Apostolicum, *quod paucis verbis omnem tàm Veteris quàm Novi Testamenti pietatis cognitionem involvit:* Symbolum etiam Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum, Anathematismi Ephesini, Confessio Chalcedonensis: quæ Nestorianorum & Eutychianorum reliquiis Quincta & Sexta synodi Patres; quæ, item, Pelagianis Africana plenaria, sive, ut vocari solet, Milevitana, & Arausicana synodus opposuerunt. Hæc enim omnia *symboli Apostolici tantum sunt repetitio quædam & declaratio.* Apponeremus illas ipsas Symbolorum & Con-

Cyrillus Hier. Cat. illum.

Dieteric. Iustit. catech. de Symb. Ap.

Confessionum formulas, nisi sciremus passim exstare; inter eruditos autem notissimas esse, certè debere esse. Hæc ipsa sanè symbola, hæ confessiones, nec aliæ, ab initio usque ad tempora Reformationis superiore seculo, Deo res ita moderante, cœptæ, in communi usu Ecclesiæ fuerunt: horum adminiculo post S. Scripturam Spiritus S. *gentes per diversitatem lingvarum cunctarum in VNITATE fidei conservavit.* Neque non ad hæc ipsa symbola consveverunt magnâ fiduciâ provocare optimi Majores nostri, Protestantes vocari cœpti. *Philippus Melanchton*, qui in Augustana, quæ sic audit, confessione conscribenda stylum commodavit, responsione ad Clerum Colonienſem ita scribit: *Regulam sequimur certam doctrinæ, scripta Prophetarum & Apostolorum: Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasii; sententias synodorum Veterum, quæ probantur, Nicænæ, Byzantinæ, Chalcedonensis, & similia purioris Ecclesiæ testimonia. Nec dubitamus, hoc genus doctrinæ, quod profitentur Ecclesiæ nostræ verè esse consensum Ecclesiæ catholicæ Christi.* Consensum sanè omnium Augustanæ Confessionis articulorum cum his ipsis veteris Ecclesiæ Confessionibus in Programmate quodam strictim ostendit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Maximè Reverend. Dn. D. Titius: aliâ occasione, illud diffusius, nisi mors interveniſſet præmatura, forsan exsecuturus. Atq; hæc ad propositam quæstionem, quod Credenda attinet, prolata sunto. Mysteria porrò, seu, sacramenta duo, Baptismus & s. Cœna Dominica, è propriâ utriusque institutione, (unde cujusque natura rectissimè percipitur & dijudicatur) illustribus in s. Scriptura verbis propositâ, non Christianis tantum, sed etiam τοῖς ἔξωθεν possunt esse notissima. Neque minus morum omnis doctrina ê Decalogo, in Scripturis utriusque Testamenti passim distinctiùs exposito notissima

est;

est; quin bonam sui partem vel ê solo capite XII. ad Romanos enotescit. Quod si secundum nostri temporis conditionem ad quæstionem: Quænam sit fides & religio Christiana? sit respondendum, poterimus brevius responsione defungi, si dicamus, eam esse, quæ in Majore & Minore Cathechismis B. Lutheri sit repræsentata. Hi enim libelli *quasi laicorum Biblia* censeri possunt, *in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, quæ in S. scriptura fusius pertractantur, & quorum notitia homini Christiano ad æternam salutem* (adipiscendam) *est necessaria.* Atque hanc Ecclesiarum nostrarum sententiam luculenter confirmat ipsa earum conspicua praxis. Videmus enim Judæis & Turcis, si qui ab Ecclesia nostra Baptismum petant, antequam ad illum admittantur, doctrinam hanc catecheticam proponi: quam si imbiberint, & interrogati commodè reddere valeant, tum verò *lavacro* illo *regenerationis*, & fidelium ordine dignos â nostris existimari: id quod conciones Baptismales, sic dici solitæ, quæ in ejusmodi occasionibus haberi, & adjectâ enarratione administrati ipsius baptismi vulgari consueverunt, apertissimè confirmant.

Epit. form. Conc. de Compend. Normâ.

IIX. Quæcunq; videlicet in laudatis symbolis, Confessionibus, libellis, comprehenduntur, ê s. Scriptura deprompta & concinnata sunt omnia: Nam *in iis, quæ apertè in scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq; vivendi spem scilicet atque caritatem.* ut Augustini celebre dictum habet. Sunt etiam vetustæ illæ confessiones, quas quinque ferè priora â nato Servatore Secula protulerunt, *fidei, quam omnes ubiq; fideles semper professi sunt, post scripturas sanctas instrumenta quasi authentica, ab omnibus fidelibus approbata,* ut rectè recentium Dd. non

2 de D. C. cap. 5.

D Hulsem. Breviar. cap XIIX. §. 23.

rum

nemo loquitur. Atque sic *Regula fidei nostræ de scripturarum planioribus locis ET Ecclesiæ autoritate percipitur.* Loquimur de *Regula fidei*. Nam, antiquæ Ecclesiæ traditio seu testificatio *non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum certè præcipuè in* FIDEI REGULA *magno nobis studio & investiganda est & sequenda*, ut celebris ille Vincentius Lirinensis dudum prudentissimè inculcavit. Alia enim multa sunt inter Christianos, *in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque Optimi* REGULÆ CATHOLICÆ *Defensores salva fidei compage non consonant, & alius alio melius aliquid dicit & verius*: S. Augustino præclarè iterum observante. Cujus verbis geminum docuit & scripsit egregius vir, Dn D Gerhardus: *Vnitas fidei & doctrinæ in Ecclesia in hac vita non est perfecta & absoluta: quandoque enim inter veræ Ecclesiæ membra incidunt controversiæ*, quibus *sancta illa unitas scinditur. Distinguendum itaque inter unitatem absolutam*, perfectam, *& dissensionis expertem, quæ in Ecclesia demum triumphante habebit locum, & inter unitatem* FUNDAMENTALEM, *quæ in consensione Principalium articulorum consistit, licet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam scripturæ locorum controversiæ incidant. Ac talis est illa* UNITAS *quæ in Ecclesia militante locum habet. In ea enim nunquam reperitur tanta concordia quin dissensionibus quibusdam sit permixta.* Hæc ita optime B. Dn. Gerhardus; Quæ si nonnulli probè perpenderent, haud ita facilè ad pugnas & acerbas altercationes prosilirent.

Augustin. de D Christ. libr. III. cap. 2.

Common. I. cap. 39.

Contra Iulian libr. III cap. 2.

Loc de Eccles. § 231.

IX. Hic porrò venit indicandum, natales Religionis Christianæ, quæ ante exhibitum mundi Redemptorem judaica aut Israelitica vocabatur, ab initio ipsius mundi esse

repetendos. Quo in argumento occupatur flos ille Theologorum Protestantium *Martinus Chemnitius* in Loc. Comm. de justificatione statim sub initium Tractationis.

num. V. Vbi hæc legitur Epigraphe : *Vnum & idem esse Evangelium, quo omnes sancti omnibus temporibus ab initio mundi salvati sunt.* Dicit ibi Chemnitius: *posse nos in historia omnium temporum ab initio mundi hæc duo singulari voluptate Spiritus, nec sine fructu aspicere & observare (1) eandem semper fuisse apud omnes sanctos in Ecclesia doctrinam & fidem de justitia coram Deo, & salute æterna. (2) Quomodo subsequentibus temporibus repetitione ejusdem doctrinæ paulatim clarius revelatum sit Evangelium : sicut oriente Lucifero paulatim pulsis tenebris magis magisque calum incipit albescere, donec post auroram sol oriatur.* Mox constituit quatuor *ordines*, ut vocat, temporum: *(1) à Lapsu Adæ usque ad diluvium (2) à diluvio usque ad Mosen (3) à Mose usque ad prophetas. (4) à prophetis usque ad Christum.* De singulis eruditè disserit: Non tamen ibi meminit vel monstrandum sibi sumit, doctrinam qualis in symbolo Athanasiano est *sine discrimine ætatum mundi* omnibus omnino salvandis creditam fuisse. Cum quartum illum ordinem enarrasset, subjicit: *Observetur non tantum quando & quoties repetita sit promissio, sed quomodo paulatim clarius sit revelata, quæ membra promissionis quomodo singulis temporibus declarata sint. Hæc diligentia multum habet utilitatis.*

X. Chemnitianæ huic doctrinæ inhæsit B. Dn. D. Calixtus noster & docuit, non tantum fideles sub novo Testamento servatos fuisse fide in Christum, sed etiam fideles sub vetere. Sed sicut fideles sub vetere crediderint in Christum venturum & exhibendum & præstiturum, quæ juxta

decre-

decretum divinum ad salutem nobis promerendam necessaria; fideles vero N. Testamenti crediderint & credant in Christum exhibitum, & qui jam cuncta ista præstiterit & adimpleverit: ita quoque fidem sub veteri Testamento fuisse *implicitam*, sub Novo autem distinctam & *explicitam*, utrobique tamen eandem in Christum fidem, sicut nec scientia alicujus rei, quæ in uno magis est perfecta, in altero minus, propterea specie variet. Persvasos videlicet fuisse illos, qui initio mundi vixerint fideles, Deum per Messiam, quem missurus & exhibiturus esset, servare velle omnes homines, qui crediturі & fiduciam collocaturi essent in misericordiâ, gratiâ, beneficiis â Deo in Messia & per Messiam præstandis, & conficiendis; quomodo præstare & confícere vellet, ejus infinitæ sapientiæ & potentiæ commisisse. Confisos itaque fuisse Deo, salutem per Mesiam operaturo. Fides nimirum revelationi commensuratur, & ultra eam porrigi non habet opus, sed satis est, si id, quod sibi a Deo propositum, firmo adsensu amplectatur, fiducia omni in Deo promittente defixa. Differentiam autem inter cognitionem humanam confusam *implicitam* & obscuram, & *explicitam*, distinctam & claram, eleganti exemplo docuit B Lutherus in Genesin ad cap. XLI. *Vt in campo ambulans è longinquo prospicio hominem incedentem, qui primo videtur esse equus aut arbor, cum accedo eum propius, incipio eum paulatim magis ac magis cognoscere esse hominem, donec tandem hunc vel illum virum & individuum video: sic procedit cognitio nostra primùm confusa, post clarior & magis propria.*

XI. Nempe: essentiale, ut sic dicam, seu fundamentale medium consequendæ salutis semper idem esse & manere debuit, etsi postremis temporibus, *quando Deus nobis* Hebr. I.

bis locutus est per filium in carne manifestatum, revelatio valde creverit, ut jam puer decennis plura de Christo sciat, quam multi olim adulti; Vnde & Vetus Testamentum *noctis*, novum *diei* comparatur Rom. XIII. 12. ceu docuit Doctissimus *Dn. Frider. Balduinus* de adventu Christi typico secundo; qui & alibi addit: *In Novo Testamento pueros & alios de Christo docere, & fidei suæ de Christo rationem longè meliorem reddere posse quàm olim* (potuerint) *multi* PROPHETÆ. Digna sunt, quæ hic expendantur verba S. Augustini Epistol. XLIX. *Ab exordio generis humani, quicunque in eum crediderunt, eum* VTCVNQVE (pro mensura revelationis) *intellexerunt, & secundum ejus præcepta piè & justè vixerunt; quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt &c.* Quæ præter dicta hactenus de Fide hominum Veteris Testamenti disputari & inquiri solent, plus fortè habent curiositatis quàm utilitatis. Et si *alius alio melius aliquid* se invenisse putet, ac *Verius*, justum tamen est, ut scientiam suam in medium proferat relictâ *Ecclesiæ probandi libertate, non cum credendi necessitate eandem obtrudat*, ut iterum prudenter & planè ad Veteris Ecclesiæ mentem in simili negotio loquitur *D. Gerhardus* Locor. comm. Tomo ult. de Consummat. seculi. Nam posthâc *Catholicam fidem augmentum aliquod posse recipere, improbum est credere*, ait *Johannes Maxentius* libello fidei. cap. 1.

p. 133. cap. IX. Zach. p. 364.

Cap. VII. §. 83.

CAPVT

Caput II.

Veritatem Christianæ Religionis argumentis confirmans, & objectionibus nonnullis respondens.

I.

TAnta est Dignitas, tanta præstantia, tantus splendor Christianæ Religionis, ut sine omni probationum apparatu *sola honestate sua recipi deberet*, quemadmodum verissimè dixit *Pius Papa* II. ante Pontificatum adeptum Æneas Sylvius vocatus. Jam olim tamen in Ecclesia argumenta nonnulla sunt collecta & infidelibus proponi solita, quibus ad æstimationem sacræ Scripturæ, & quæ huic uni nicè innititur, sanctissimæ ipsius Christianæ Religionis hi comiter adducerentur: Illi etiam eorum, qui dociles essent & veritatis studiosi, non refractarii & pertinaces, ad assensum præbendum suaviter inducerentur. Platina Pio II.

II. Diximus, infidelibus ista argumenta ab Ecclesia hactenus consuevisse proponi. Nam fideles *unctio* quam *habent à Sancto illo* (Christo Apocal. III. 7) *docet de omnibus, quæ verax est & non est mendacium* 1. Joh. II. 20, 27. & hinc illi mori malint, quam de veritate & certitudine suæ Religionis ambigere, nec id sine præsentissimo salutis suæ periculo illis licebit. Eo tamen, proh Dolor! res nostris infelicibus temporibus rediit, ut multi, qui Christianam Religionem hactenus amplexi sunt, eandem tamen sive ingenii ostentandi gratiâ, sive ê merâ temeritate & animi improbitate, incipiant conflictis, aut ab aliis impiis mutuo sumptis argutiis solicitare, labefactare, & quantum in se est,

piis ſuſpectam reddere, atque ſic paulatim ex eorum mentibus, ſuo tamen ipſorum ante certiſſimo cum exitio, exturbare. Hi ſcilicet belli homines ſunt illi *irriſores juxta proprias concupiſcentias ambulantes*, illi in *extremis diebus invalituri* Φιλαύτοι *ſui amantes, numicupidi, jactatores, ſuperbi, blaſphemi, charitatis expertes*, ἀφιλάγαθοι *bonarum* nec actionum, nec perſonarum *amantes*, Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ Φιλόθεοι *voluptatum potius amantes, quam amantes Dei, formam habentes pietatis, ſed qui vim ejus abnegaverint*, quales penicillo prophetico dudum nobis Petrus II. Epiſt. cap. III. 5. & Paulus 2. Timoth. III. 2, 3, 4. depinxerunt.

III. Docet nos communis converſatio, filiis hujus ſeculi nihil non protinus eſſe aureum, quod ſub Gallico cælo natum inde ad nos mittitur. Audiant itaque tales doctiſſimum ſcriptorem Gallicanum *Petrum Danielem Huetum* præfatione in nuperam ſuam Demonſtrationem Evangelicam nonnihil ſermocinantem: *Ea eſt ætatis hujus corruptela, ut ſi quis præter ſolitum ſapere videri velit, tum id ſe adepturum ſperet, cum vaticiniis prophetarum, & Chriſti ſanguine & miraculis fundatam Religionem, tot gentium conſenſu receptam, tot virorum Doctorum lucubrationibus aſſertam, magna ſibi cura à parentibus traditam, nec penitus tamen ſibi perſpectam, homo in ejus gremio natus & eductus, mediocris fortaſſe ingenii, parum doctrina, temeritate ſatis inſtructus, peſſumdat, & ſic tanquam ſubdolorum hominum figmentum, errorem ſtolidorum, ſolertiorum ludibrium traducit ac proculcat. Quod ſi quis rem maturiori diſquiſitione dignam cenſet, ad ejus ex-*

amen plus aliquanto vel ſolertiæ confert, vel eruditionis, vel diligentiæ; ſic fere tamen ab animo paratus accedit, ut quantumlibet futile argumentum, divinationem, ſuſpicionem, conjecturam,

jectturam, rumorem, sophisma adversus Religionis Christianæ veritatem valere velit; pro eadem nullus idoneus videntur esse testis, nullus autor satis locuples, nulla satis firma probatio; vixque tandem ἀπόδειπνοις epicherematis, ac ne vix quidem, difficilis & fastidiosus disceptator concedat. In hujusmodi trutina examinata Religio, justo quippe apparet esse levior levibus & iniquis ingeniis. Atq; hoc porro ΝΕΩΤΙΤΙΑΣ omnis seminarium est. Quò enim non se proripit ac projicit cutiditas, cum despicatui habetur criminum inspector & ultor Deus? Quapropter ne serpat longius ista vitiorum labes, fibræ primum ipsæ impietatis elidendæ sunt: cujus tutissima cautio hæc est atq; provisio, ut adducantur in contrarium rationes, quibus innititur Christiana Religio, suisq; momentis æstimentur. His enim probè confirmatis, & veritate perspecta, falsitas omnis evanescat, necesse est. Vtilem in iis colligendis impenderunt operam cum prisci Ecclesiæ Patres, tum viri eruditi complures nostra & patrum nostrorum avorumq; memoria. Hæc rectissimè ille. Vtinam autem auditus hic laudatissimi Galli cantus, maleconsultis pietatis Christianæ contemptoribus, si lacrymas, sicut pœnitenti Petro, nequeat excutere, saltem pudorem sit incussurus! Cæterum & nos rationes aliquas, quibus innititur veritas & dignitas Christianæ Religionis, &, in quibus *colligendis utilem operam* tum *priscos* tum recentiores Doctores *impendisse* dicebat Huetus, ab iis repetitas nunc in medium producemus.

IV. Cum itaque maximi momenti res sit Religio, hoc est, ratio colendi Deum, qua *ceu vinculo Deo religati sumus*, ut Lactantius loquitur, sic quidem, ut & pagani illam συνεκτικόν τι πάσης κοινωνίας commendaverint; sapiens quoque Stagi- libr. IV. Instit. cap. xxviii.

7. Politic c. VIII. Stagirita hanc præscripserit, Regulam: πρῶτον ἡ περὶ τὸ θεῖον θεμελεια, quæ in Ethnicorum animis ad virtutem, & vitæ aliquam honestatem unicum retinaculum fuit, quo minùs plerique; in Epicureismi pelagus abriperentur, probã in se hanc oportere esse, consentaneum fuerit Itaq; & nos Christianam Religionem asserturi, primum argumentum petemus ex ipsa intimiore natura dogmatis Christiani. Et quidem considerari cupimus initiò Religionis nostræ PRÆCEPTA. Hæc, quanta quanta sunt, ad illum scopum sunt directa, ut unusquisque *piè* erga Deum, *justè* erga proximum, & *temperanter* erga seipsum vivat, idque faciat si pœnam non solum temporalem aliquam, sed æternæ damnationis illam evitare velit. Transgressorum quidem pœnas temporales & corporales sæpe aliquamdiu differt Deus; nemo tamen hinc impunitatem post hanc quoque vitam sibi polliceri debet. Et in temporalibus quoque pœnis, etsi tradiore gradu ad vindictam sui divina procedat ira; tarditatem tamen supplicii gravitate etiam in his solere compensare, Christi Doctrina monet. Porrò, si penitius in præcepta Christianæ pietatis inquiras, nihil deprehendes in eis quod ad summam sanctitatem desiderari posse. Non in ritibus externis & superstitiosis, qualibus olim erant Ethnici, Judæi etiam hodiè, & Muhammedani sunt valdè dediti: non in discriminibus ciborum, externis lotionibus, mundationibus, peregrinationibus, (quæ omnia etiam sceleſtissimus quisque ex facili præstare potest): sed in vera animi totius mutatione, & quasi regeneratione, in carnis & affectuum refrenatione, in voluptatis venereæ intra casti conjugii limites restrictione, in reverente cultu supremarum potestatum, in justa obedientiâ erga quemvis superiorem, in intu-

Tit. II. 12.

cata

ta caritate erga quemvis hominum: in malorum heroica patientia: in animi lenitate & manſuetudine: in perpetuâ ab aliis lædendis abſtinentiâ: in dilectione etiam hoſtium. in ſummâ, ad ſublevandas quâ licet τῶν ἐτέρων inopiam & neceſſitates facilitate: in honoris, divitiarum, & omnium fugacium bonorum magnanimo contemptu: in aſſiduâ nominis Divini celebratione: in precum ardentisſimarum exercitio, in diligenti omnium dictorum, factorum, cogitationum moderamine, in flagrante alterius & melioris poſt hanc vitam ſtatus, & propioris cum Deo tum converſationis, tum aſſimilationis ejusdem deſiderio: In *dilectione Dei ex toto cordo, ex totâ animâ, & totâ cogitatione: Et charitate erga proximum, illi reſpondente, quâ nobisipſis conſulimus.* Audiamus, qui hæc in brevem quaſi ſummam contrahit, Paulum ad Philippens. IV. 8. *Fratres, quæcunque ſunt vera* (veritate *vitæ*, ut rectè expoſuit *Cornel. a Lapide*: nam Hebræis opponuntur ποιεῖν καὶ ἀλήθειαν, 1. Cor. v. 8, & Φαῦλα πράττειν καὶ ποιεῖν ἀλήθειαν Joh. III. 20. 21) *quæcunq; honeſta, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate.* Quid vel oculatisſimus inveniet, quod Apoſtolicæ huic agendorum ſummæ ſupperaddi poſſit? Digna quoque ſunt, quæ adſcribantur verba maxime Reverendi Dn. D. Titii, τῦ μακαρίτυ, Domini Præceptoris & Hoſpitis mei ætatem devenerandi, ê programmate, Diſputationibus meis publicis, ſuper Theſibus ipſius Theologicis, ipſo Præſide, ante biennium inſtitutis, præmiſſo: *Hoc unum ſaltem nunc affirmo, ſi omnes ſanctisſimam hanc Religionem (Chriſtianam) ore profeſſi, factis quoq;, ut debebant ſanè, exprimerent; luxum, libidines, ſuperbiam, contentiones, injuſtitiam,* Matth. XXII. 37. 39.

frau-

fraudes, oppressiones, bella, & horum pedisequas calamitates, orbe Christiano facilè exulatura, nos cœlum quasi in terra præcepturos esse. Sic optimè ille, &, ut nemo non videt, qui non cœcus est, verisimè. Porrò quod maximè commendabilem facit Christianam Religionem, præceptis sanctissimis castissimisque promissione Divinâ addita est facultas aliqua, illa ipsa superatis carnis, mundi, & Diaboli tentationibus, observandi: Hinc fideles dicuntur *creati in Christo ad bona opera, in quibus ambulent.* Ephes II. 10. & *Deus* ipse *perficit eos in omni opere bono ad faciendam voluntatem suam.* Ebr. XIII. 21. Vndè etiam *mandata* ejus nec sunt molesta, nec *gravia*, 1. Joh. V. 3. & cum *suavitate* quoque conjuncta. Matth. XI. 30.

V. Post præcepta contemplemur etiam Promissa & PRÆMIA, quæ sanctissima Religio nostra proponit. Non hæc sunt vilia, transitoria, aut tantum in rebus, quæ homini cum brutis communia sunt, posita, qualia Epicuræi & Muhammedani æstimant; Sed talia omninò, quæ & hominis immortali animâ præditi naturæ optimè conveniunt, & Deo, omnium summo remuneratore sunt digna. Nempè hæc & similia: Remissio peccatorum, pax conscientiæ, quæ, quam suavis sit, *superat omnem intellectum*, Philipp. IV. 7. inhabitatio Spiritus S. perpetua gubernatio divina, auxilium in gravissimis afflictionibus, *nec enim in parvis* (tantùm) *rebus Deus propitius auxilium afferre solet, sed tum potissimum, quando* (aliundè) *spei est minimum*; interior consolatio, assistentia in horâ mortis, *ne tentemur supra quod possumus, sed cum tentatione præstans ἔκβασιν, ut perferre queamus* 1. Cor. X. 13. & tandem pro *momentaneis* (levibus) *afflictionibus æternum pondus gloriæ* II. Cor. IV. 17. vitam scilicet sine

Joseph. Antiquit. libr. II. cap. VI.

fine

fine beatam, *hæreditatem immortalem*, ἀμίαντον *incontaminatam*, *immarcescibilem*, *servatam in cœlis ergà nos* 1. Petr. 1. 4. Homil. 4. Optimè *S. Macarius* eremita Ægyptius: *Magnæ & ineffabiles factæ sunt Christianis promissiones, tantæ quidem, ut unius animæ fidei ac opibus neque universa gloria & pulchritudo cœli & terræ, neque reliquus ornatus, & varietas, & divitiæ, & splendor, ac delitiæ rerum adspectabilium æquipolleat.*

VI. Sed nec tacenda nobis erunt sanctissimæ illius Religionis nostræ sublimia & admiranda MYSTERIA. Neque enim eorum sententiam probamus, qui Religionem hanc totam *præceptis* & *promissis* includi contendunt, aliisq; persuasum eunt. Mysteriorum horum summum est illud Trinitatis in uno Deo; quod nimirum tres illi, inter se verè distincti, *Pater* & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, in quorum *nomen* Christus *gentes baptizari* jussit, sint ille *unus Deus*, præter quem non est alius, 1. Joh. v. 7. qui modus existendi peculiaris, imò inauditus ad Majestatem divinæ essentiæ intelligendam pertinet. Proximum ab hôc Trinitatis, est illud μέγα μυστήριον, quod *filius* Dei *apparuit in* terra *in* assumpta humana *carne* 1. Tim. III. 16. *oculis* passim *visus*, *manibus contrectatus* 1. Joh. I. 1 *Unus Dominus* Ephes. IV. 5. *Unus Dominus Jesus Christus* 1 Cor. IIX. 6. idemque *geminæ Gigas substantiæ*, nempe *ex Patribus quoad carnem*, *& Deus benedictus in secula* Rom. IX. 5. Cum quibus deindè cohæret reconciliatio mundi cum Deo, per passionem & mortem hujus θεανθρώπου. Prorsus etiam φοβερὸν hoc est, tremendum est arcanum quod ex institutione Christi, & per ejus omnipotentiam, in sanctissima Cœna, *Hoc* quod porrecto & manducato pane *editur*, est *corpus Christi* pro mundi vitâ traditum, adeoque ipsum *corpus carnis* ejus, & propriè dictum

ctum. Colosſ. 1. 22. Et, *Hoc*, quod cum vino ê poculo hausto *bibitur*, eſt *ſanguis* Chriſti pro genere humano *effuſus in remiſſionem peccatorum* Matth. xxvi. 28. ut propriè dictum ſanguinem hic indicari, dubitare non liceat. Taceo creationem mundi ex nihilo, eamque cum incipiente tempore, & ſex præcisè dierum intervallo factam; primum hominem ê globa terræ factum, uxorem ex illius dormientis coſtâ productam: genus humanum ob grandia peccata diluvio per Deum immiſſo ad unam familiam usque exſtinctum. Taceo futuram Reſurrectionem mortuorum; taceo futurum univerſale vivorum & mortuorum judicium in extremo mundi die; & cum hoc conjungendam abolitionem hujus mundi. Quæ omnia, etſi permira ſunt, ad quæ ratio humana prorſus obſtupeſcit, tamen Deo indigna, aut eidem impoſsibilia eſſe, natus nemo, quantocunque acumine ea diſcuſſum eat, deprehendit aut evincet. Rationis lumen autem, tantum abeſt ut deſtruant talia, ut id ipſum potius ceu nova, aliundè oblata cognitionis objecta, etiam valdè perficiant.

VII. Porrò, illa quæ protulimus & horum ſimilia, in Scripturâ ſimplicibus & nudis aſſertionibus propoſita invenimus. Proinde dicimus: Hæc & hujusmodi, propoſuit & revelavit aut Deus, aut creatura. Non creatura, quia, ut monuimus, intellectum creaturæ ſuperant, nec ea, ſi ſibi relinquatur, quicquam horum indagare, capere poteſt, vel adſequi. *Veritas enim (id eſt, arcanum ſummi Dei, qui fecit omnia) ingenio & propriis ſenſibus non poteſt comprehendi*, ait Lactantius. Si regerat fortè infidelis; myſteria illa vera nequaquam eſſe, ſed conficta; Reſpondemus, Finxit itaq; creatura vel mala, vel bona. Non mala, quia bonum, imò optimũ

Libr. 1. cap. 1. de falſ. Relig.

finem

finem omnia ista respiciunt, scilicet, ut homo maximæ dignitatis & perfectionis compos fiat, ut Deo legitimè subjiciatur, ut abstineat ab omni non modò malo, sed etiam specie mali. Horsum minimè tendunt improborum sive hominum sive spirituum figmenta. Sed neque fingere potuit mens aliqua proba & sancta: De Deo enim destinato consilio, dataque operâ mentiri, & figmenta proponere, adeoque Deo, quæ Dei non sunt, supponere, probæ & sanctæ mentis non est. Prout fusius hæc in peculiari dissertatione tractavit illud ingens & Holsatiæ nostræ decus B Dn. D. *Calixtus*. Relinquitur itaque Deum ipsum hæc hominibus manifestavisse. De Verit. Relig. Christ. §. XXIII.

IIX. Vidimus hactenus, Religionem Christianam secundum suas quasi partes. Consideremus nunc ejusdem nonnulla *Adjuncta*, ut sic vocemus. Hic primò se offerunt illustria magis, quam ut verbis satis explicari possint Miracula, quibus ipsa confirmata fuit. Magistrum ipsum maximum Christum ingentia miracula patrasse, neque pagani omninò, neque Judæi olim negarunt, & hodiè adhuc fatentur: quod *Hugoni Grotio*, in egregio de Verit. Relig. Christ. opusculo, jam dudum observatum est. Eundem Dominum nostrum è morte & sepulchro gloriosè emersum, confirmare potuerunt *quingenti fratres* illi, quibus post mortem conspectus fuit, quosque in mendacium conspirare voluisse, nulla verosimili ratione dici potest. Quin ad tutam huic rei fidem faciendam sufficit testimonium duodecim Christi Apostolorum Act. X. 40. in quibus nemo unquam indicia vanitatis, doli, affectatæ inutilis gloriæ, observavit: de quibus nec ulla, quæ ad fingendum eos impulerit, causa proferri potest: cum nullum, libr. II. sub init. 1. Cor. XV. 6.

quale homines mendacii quærunt commodum, ad eos inde redundasse palam sit. Ex adverso contemptus & odium publicum, & diræ persecutiones tota vita eos exagitaverint. Intermittere non possum, quin huc adscribam *Flavii Josephi* rerum judaicarum scriptoris nobilissimi insignem, & crebrâ planè notâ dignissimum locum: *Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quam de Gentilibus sectatores habuit) Christus hic erat: quem accusatum â nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cæperant.* & rursus: *Apparuit iis*, discipulis suis, *tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerant.* Hæc de Christo nostro homo Judæus, scriptor non subtilestæ fidei, & quem Christo unquam nomen dedisse, non constat. Non ignoramus quidem, viros doctos non paucos suspicari, locum hunc pia fraude â Christianis historiæ Josephi fuisse insertum; suspicionem tamen hanc nihil morati, genuinum illum censent, & ceu talem adducunt magni nominis Theologi, *Georgius Galixtus* Disput. de Verit. Relig. Christ. §. 28. & *Conrad. Hornejus* Dispp. Theol. part. I. Disp. II. sect. I. §. 48. & post hos *Joh. Georg. Dorscheus* disp. de interfect. Christi §. 14. *Henricus Valesius* Notis ad Euseb. Histor. libr. I. cap. XI. & novissime *Petrus Daniel Huetius* Demonstr. Evangel. part. 1. propos. III. â §. XI. usque ad §. XIX. ubi contra objectiones non unius eruditissimi viri locum prolixè tuetur.

Antiq. Jud. libr. XVIII. c. 4. incis. 6.

XI. Post ascensionem Christi in cœlum, quæ & ipsa cum quovis miraculorum certare potest, Apostoli, Christi disci-

discipuli, *opera* miraculosa, quæ ipse præiverat, & ipsi *fecerunt*, & *majora his fecerunt*, ut ipse Dominus prædixerat Joh. XIV. 12. *majora* videlicet tum numero, tum *divulgatione famæ*, tum denique *successu*, uti hoc dexterè exponit & deducit B. noster *Calixtus* in Harmon. Evangelistarum. Scimus, jam olim Judæos & paganos hæc tanta miracula procaci lingva ad opem malorum dæmonum retulisse: sed quomodo hi adjuverint illa opera, quibus asserebatur doctrina ad omnem impietatem, & ad ipsum hactenus in mundo diabolis impendi solitum nefarium cultum penitus tollendum tota comparata? Hac etiam responsione ipse Salvator, cui vivo videntique calumnia illa impingebatur, miracula sua defensum ivit Matth. XII. 26. 27 *si diabolus diabolum ejicit* (semper, subintellige, & constanter) *adversus seipsum divisus est: quomodo igitur stabit regnum illius?* Sublimior igitur potestas & verè divina est, quâ miraculorum gratiâ pollens Ecclesia primitiva dæmones invitos cogebat larvam exuere, ut cultus ipsorum & veneratio prorsus interverteretur. Audiamus *Tertullianum* ingenti animi fiducia Gentes alloquentem: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus Vestris quem dæmone agi constet, jussus à quolibet Christiano loqui Spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æquè producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aëris maleficum numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando profantur: Ista ipsa vis cœlestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, Scordii, Donatii, Asclepiodati submini-strator nisi se dæmonem esse confessus fuerit, Christiano mentiri non audens, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite.* Apol. adv. Gent p. 858. edit. B. Rhen.

Eadem refert Magistro isto suo major discipulus *Cyprianus*: *Spiri-*

Tr. IV. de Idolor. van. *Spiritus*, inquit, *adjurati per Deum verum nobis statim cedunt & fatentur & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrâ voce & oratione Majestatis occultæ flagellis cædi, igne torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant, & quando discedant ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri.* Accedit, quod miraculorum illorum quædam non solum quoad productionis modum, sed quoad ipsam facti substantiam omnem naturæ creatæ vim excedebant; Lazari demortui suscitatio, cœci nati illuminatio. Accedebat frequentia, & quod non clàm, sed in multorum, etiam hostium, omnes circumstantias sollicitè excutientium conspectu, solo verbo, contactu, aliquando etiam ab absentibus, Matth. IIX. 13. Marc. VII. 29. 30. ederentur. De miraculis præstigiatoris *Apollonij Tyanei* quem impius quidam paganus Hierocles ex historia Philostrati cum Servatore nostro Thaumaturgo componere, aut eidem potius opponere ausus fuit, diffusè egit Dn. *Huetius* demonstr. Evangel. part. II. Propos. IX. atq; sic nobis ocia fecit.

cap. CXLVII.

X. Miraculorum gloriæ non immerito adjicimus admirabilem propagatæ Religionis illius nostræ successum, Nam & S. Augustinus hæc duo argumenta seu motiva conjunxit, quando inquit: *movemur partim miraculis, partim sequentium multitudine.* Quem quidem successum facundissimè proponentem audimus B. Dn *D. Hornejum* antiqua eruditione & virtute clarissimum: *Ut nullis aliis miraculis vera religio suffulta sit, id solum sufficere poterat, quod ea ab hominibus paucis, nec doctis illis aut potentia & autoritate humana armatis, sed humilis conditionis & piscatoribus ac idiotis intra annos non ita multos, in totum orbem introducta fuit, frustra*

lib. de utilit. cred. cap. 16.

Dissert. Theol. part. I. Disp. II. sect. I. §. 50.

frustra pro antiqua superstitione tam multiplici, quæque tam altas radices in animis hominum egerat, nitentibus ipsis Imperatoribus Romanis, eorumq; Magistratibus, & potentibus quibusque, cum tamen nec voluptates, nec honores, nec opes, quibus animi mortalium facilè inescantur, promitteret; sed horum omnium potiùs contemtum & vitam austeram atque ærumnosam inculcaret, imò ipsa dirissimis supplicijs, & morte acerbissima mercanda plerumque esset. Quod quidem si quis aliter quàm divinitus factum esse putat, præsertim cum non pauci aut uno tempore, sed infinitæ hominum myriades pluribusque seculis ea mercede Christianismum profiterentur, na ille peponem pro corde habet. Quin hoc est, quod B. Paulus 1. Tim. III. ult. dicit, *magnum sine controversia pietatis mysterium esse, quod Deus conspicuus factus sit in carne, justificatus in spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus in gentibus, quodq; fides ei habita sit in mundo, & ipse sursum receptus sit in gloriam.* Idem argumentum gravissimi veteres Doctores magno spiritu magnaque facundia inculcant & urgent. *Eusebius Cæsariensis, infinitæ propemodum lectionis vir,* ut eum rectè vocat *Leo Allatius* ante finem tertii demonstrat. Evangelicæ: *Quum ad verbi potentiam respicio, ut innumerabilibus hominum conventibus persvaserit, atque ut ab ipsis illis ignobilibus & agrestibus Jesu discipulis numerosissimæ Ecclesiæ constitutæ sint, non in quibusdam ignotis, atque obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus erectæ, in ipsa, inquam, aliarum urbium reginâ Romana urbe, in Alexandrinâ, in Antiochensi, per totam Ægyptum ac Lybiam, per Europam atque Asiam, in vicis & regionibus, omniq; modo variis gentibus; retrò cogor necessitate quadam ad ipsius rei causam inquirendam recurrere, fateriq; non aliter ipsos factum tàm audax obtinuisse, quàm diviniore quadam*

De Liturg. Jacobi §. 15

dam, longeq; humanam superante potentiam, opeq; atque auxilio illius, qui dixerat, docete omnes gentes in nomine meo. Eusebio paria habet Ecclesiæ occidentalis illud grande lumen S. Augustinus opere eruditissimo de Civit. Dei Libr. XXII. cap. 5. *ipse* MODVS, *quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior* (mysterio resurrectionis carnis; de quo in præcedentibus, quod quidam id non crederent, dictum fuerat) *invenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninò quantùm ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammaticâ, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos piscatores, Christus cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tàm multos pisces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipsos Philosophos cepit.* Rursus: *Incredibile est, homines ignobiles, infirmos paucissimos, imperitos, rem tàm incredibilem* (resurrectionem mortuorum, & par ratio de similibus aliis fidei dogmatibus) *tàm efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persvadere potuisse* Et tandem in fine capitis: *si verò per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt,* Hoc *nobis* VNVM *grande* MIRACULUM *sufficit, quod ea terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Poteramus simi-

Bellarmin. de script. Eccl.

lia ê Theodoreti *Græcorum patrum doctissimi* θεραπεύτ. libr. IX. prolixè apponere; sed vela nobis sunt contrahenda, & B. Lector operam benè collocabit, si totum librum ipse legerit: Deprehendet sanè Imperatores Ethnicos cursum & successum Evangelicæ prædicationis vi & ferro impeditu-ros, *plane illis persimiles inventos fuisse, qui flammam quidem restingvere concupiscunt, oleum verò fatui instillantes, ardentiorem illam efficiunt.*

XI. Val-

XI. Valde porrò Veteris Ecclesiæ Doctores tùm pro divinâ origine S. Scripturæ, tùm pro veritate dogmatum Christianæ Religionis contra Ethnicos urserunt argumentum â prædictionum ad Messiam imprimis, ejusque officia pertinentium, ipso eventu comprobatâ veritate. Hoc ipsum verò cum prolixo & multijugâ eruditione referto volumine nuper denuò excoluerit vir eximius *Petrus Daniel Huetus, Gallus*, nos ad illum Lectorem amandare possumus. Placet nihilominus SUMMAM pulcherrimi operis, quam ipse in calce ejus apposuit, eâque totius suæ scriptionis vim atque nervum breviter repræsentare voluit, hìc repetere. *Nunc verò totam hanc demonstrationem in pauca contractam æqui Lectoris ponamus ob oculos, ut uno intuitu perspectam & comprehensam suis queat momentis perpendere. Libri Veteris & Novi Testamenti iis temporibus scripti sunt, quibus feruntur esse scripti; & ab iis scripti, quibus tribuuntur. Hinc sequitur, totam Jesu Nazareni Historiam, in Veteri Testamento longè ante prædictam esse, quam evenerit in Novo. His porrò concessis, libros nimirum Novi & Veteris Testamenti iis temporibus esse scriptos, quibus feruntur esse scripti; & ab iis scriptos, quibus tribuuntur; Et prophetias Veteris Testamenti de Jesu Nazareno, completas esse in Novo, consequens est veraces esse libros Novi & Veteris Testamenti. Quod si prophetiæ Veteris Testamenti de Jesu Nazareno, completæ sunt in Novo, & veraces sunt libri Novi & Veteris Testamenti, ex eo efficitur, Jesum Nazarenum esse Messiam. Quo posito, veraces nempè esse libros Novi & Veteris Testamenti, & Jesum Nazarenum esse Messiam, fatendum omninò est, veram esse Religionem Christianam. Arctius astringi non potest ratiocinatio hæc, totaque ita con-*

sertae est & contexta, resque aliæ ex aliis nexæ, & inter se aptæ colligatione necessaria cohærent, ut nullis divelli argumentis, ratione nulla labefactari queant, nec assensum Lector possit abnuere: præsertim si animum hic adhibeat studiosum veritatis, non contumacem; tantumq; his adjungat fidei, quæ à nobis demonstrata sunt, quantùm aliis rebus solet adjungere, quæ paris roboris rationibus nituntur. Atque id nos postulavimus ab initio Operis hujus, & impetraturos speravimus.

XII. Possem nunc *requisita* veræ Religionis, quæ B. Dn. *D. Calixtus* in procœmio Epitomes Theologiæ eruditissimè pertractavit, & in disp. insigni de Ver. Rel. Christ. luculentiùs, quarto insuper adjecto, asseruit, huc etiam transferre. Sed quia modus in scribendo mihi hac vice servandus, volo illa hic pro repetitis haberi. De eo autem adhuc indicium facere oportebit, nempè cujus ponderis & certitudinis argumenta hactenus producta censeri debeant? Id verò rursus non meis, sed virorum eruditione & judicio gravissimorum verbis in medium productis effectum dabo. Sic itaque B. Dn. *D. Conrad. Hornejus* Dispp. Theol. part. I.

Sect. I. § 58. Disp. II. *Quibus argumentis veritas Christianæ Religionis contra Ethnicos Judæos & Muhammedanos ostendatur, ita patet. Iisdem autoritas verbi divini, & S. Scripturarum, quibus ea nititur, innotescit. Tantùm duo hìc præterea notanda sunt (1) quamvis optima sint argumenta illa, & merito persvadere unicuique infideli debeant, ut omnibus relictis verbum illud divinum cognoscat & totum se ei perdiscendo tradat, imò fidem etiam habeat; demonstrativa tamen ea (his tantùm, quæ ex ipsa scriptura contra Judæos & Muhammedanos depromsimus, exceptis) non esse, nec talia, ut id, quod probant, evidens prorsus reddant: Nam si eo usque autoritas verbi divini ex iis elucescat,*

cesset, non jam fide illud teneatur, sed naturaliter cognosci possit, imò non ipsius tantum autoritas, sed omnium, quæ tradit mysteriorum veritas & certitudo. At hoc absurdum est: Nec enim mysteria amplius sint, si naturaliter cognosci & evidenter demonstrari possint. Alterum est, quod supra diximus, argumentis illis extrinsecus tantùm hominem induci, ut verbo divino credat: Nam per se & propriè ei propter seipsum creditur, quod in sequ. ostendit. Similiter judicat B. Dn. D. *Henichius* de Ver. Rel. Christ. iisdem penè verbis: *Quamvis argumenta, quibus hactenus Veritatem Religionis Christianæ adversus Ethnicos & reliquos infideles ostendimus, optima sint, & merito persuadere unicuique debeant, ut inter Christianos nomen suum profiteatur, tamen demonstrativa non sunt, nec talia, ut id, quod probant, evidens prorsus reddant; Nam si apodictica essent, posset homo per vires naturæ sibi relictas, si modo vim illorum argumentorum adsequeretur, dogmatibus religionis Christianæ assentiri: Imò non posset non illis assentiri, quod tamen tanquam hæreticum universa Ecclesia in Pelagio olim unanimi consensu damnavit.* cap. I. p. 119. 120.

Secutus est Dn. D. *Henichius* Excellentissimum Præceptorem suum τὸν πάνυ B. *Calixtum* Disp. De Autoritate S. Script. & numero Libr. Canonic. part. I. *Si fiat argumentum: Quicquid Deus dicit & docet, verum est. Quicquid scripturis continetur, Deus dicit & docet. Ergo.* §. XV. *Si hujusmodi, inquam, argumento facto Minor evinci posset vel evidentibus è lumine naturæ ductis rationibus, vel irrefragabilibus testimonis humanis, tùm conclusio parem participaret certitudinem. Fides igitur indubitata haberi posset absque peculiari intrinsecâ gratia, & illuminatione divinâ, quod dudum communi consensu in Pelagianis damnatum est. Ergò reliqvum est, ut Deus ipse verbo suo in animis humanis testimo-*

nium perhibeat, eosque sua gratia & virtute intrinsecus operante ad fidem perducat. Ipse quoque Laudatus ille & laudandus plurimum *Petrus Daniel Huetus* Præfatione Demonstrationis, quam promittit, Evangelicæ §. IV. initio, postquam argumentum, quod ipse toto libro prosequitur, *è vaticiniorum complemento* petitum, vocasset *adversus impiorum assultum tutissimum perfugium & velut anchoram sacram, undè nostræ Religionis veritas manifesto eluceseat:* fatetur tamen & subjicit statim: *Nullas ad capessendam fidem sufficere argumentationes, nisi accedat gratia* (illuminatrix) *Christi, cujus solius ope fidem illam consequamur, sine qua juxta Pauli decretum, placere Deo non possimus. Merum quippe,* pergit ea, *Dei Donum est non rationis nostræ fœtus.* Et post pauca interjecta: *Cui fidem largitus est Deus, probationes non requirit: Qui fide caret, nulla sufficit ei Demonstratio.* Possem quoque huc adducere Nobile par fratrum *Joh. & Petr. Musæos*, p. m. celeberr. Theologos Dnn. præceptores meos in illustrib. Jenens. & Kilonensi Academiis desideratissimos, & quidem illius Introduction. in Theol. part. II. cap. VI. §. XII. hujus verè disp. Theol. c. 11. Sect. III. §. II. nisi vererer, ut nimium excrescat opus. E Pontificiis tamen, & quidem Jesuitis placet huc adscribere celebria verba *Gregorii de Valentia* in secundam secundæ Disp. I. quæst. I. puncto IV. & in Analysi libr. I. cap. XV. *Doctrina Christiana etsi est scripta verbis simplicibus, & caret ferè artificio orationis & ornamentis: nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut alia nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omninò divinam esse non humanam.* Idem, qui decem & septem ad fidem Christianam inducentia argumenta proposuerat, illis omnibus subjungit

incis. 3.

deci-

decimum octavum, quod ita habet: *Quum hactenus ejusmodi argumenta pro autoritate Christianæ doctrinæ fecerimus, quæ per seipsa satis prudentibus esse debeant, ut omnia animum inducant, velle credere, tamen nescio, an non sit argumentum iis omnibus majus, quod, qui verè Christiani sunt, ita se animo affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud, nescio quid, quod alio quodam modo, & longè fortius, quam ulla argumenta animis nostris persuadet, (est autem id revera divinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum moveri se intelligant.* Prudenter hæc scripsisse Valentiam adseverat etiam *Adamus Tannerus* Theol. schol. Tomo III. Disp. I. quæst. II. dubio III.

XIII. Rem ita prorsus se habere, ut Valentia vi veritatis coactus agnovit, (etsi odio Lutheranorum in alia omnia aliàs hic abire solent pontificii) id copiosè & eruditissimè monstravit eximius ille Doctor noster, *G. Calixtus*, productis tùm dictis S. Scripturæ, tùm sententiis antiquissimorum & celeberrimorum Ecclesiæ luminum, tùm suffragiis graviorum Scholasticorum, tùm confessione recentium, etiam qui post Concilium Tridentinum scripta ediderunt Auctorum pontificiorum, tùm denique luculentis exemplis aliquorum qui ê Paganismo aut Judaismo sola verbi divini lecti, perpensi, efficaciâ fidem Christianam sunt amplexi. Vt videre licebit consulentibus magni Doctoris Disputationem longè doctissimam de Autoritate S. Scripturæ & Numero Librorum Canonic. part. I. â §. X. usque ad XLIII; & partem primam Responsi, effrontibus Moguntinis convitiatoribus oppositi. â § CXVII. usque ad §. CXIX.

XIV. Cæterùm hic jam iterum novus & longus rerum

rum se panderet ordo, si scriptioni frena laxare vellemus. Afferendæ nimirum erant in medium numero plurimæ, & difficultatibus intricatissimæ, sæpè etiam impiæ & blasphemæ objectiones, nugæ & argutiæ, quas vel hæreticorum improba curiositas & obstinata contradicendi libido adversus Christianæ fidei tùm sublimia mysteria, tùm sanctissima præcepta commenta est, & toto, ut sic dicamus, horreo effudit. Sed cum Ethnicorum φλυαρίας vetusti Doctores interq; eos imprimis *Eusebius* & Præparatione, & Demonstratione Evangelicâ, *Augustinus* incomparabili de Civitate Dei volumine, *Theodoretus* ingeniosis, de curandis Græcorũ affectibus, libris; ne de *Theophilo Antiocheno*, *Arnobio*, *Lactantio* aliis, nunc dicam, felicissimè profligaverint; non est, ut næniis illis huc denuò pertrahendis, & tunc discutiendis moremur.

XV. Objectio maximè εὐπερίσπαστος Ethnicorum erat, quam *Theodoretus* præfatione in libros de Græc affect. curatione refert: Christianos *nihil aliud, quam meram credulitatem illis insinuare, quos divinis rebus imbuendis acceperint*: quod ipsum & Julianus, ille παραβάτης, *petulanti splene cachinno*, objiciebat: *nostri sunt sermones, & nostrum Græcari, vestra autem est infantia & rusticitas, τὸ ἀγροικον: nec quicquam aliud, quàm,* CREDE, *sapientiæ vestræ est*: Sed benè explodit hanc insanientem sapientiam laudatus *Theodoretus* libro θεραπέυτ. Primò reponens Ethnicis exemplum sui Pythagoræ, qui *legem hanc discipulis suis sanxerit, ut perpetuum quinquennium conticerent, solumque audiendo præceptori aures accommodarent, ita, ut quæ dicerentur, sine ulla disceptatione vel contentione admitterent, credentes, ita rem se habere, nec præterea quicquam ceu dubii curiosiùs inquirentes. Ex quo factum*, inquit Theodoretus, *ut qui ei successerant, si quis*

rerum

verum quas diceret, demonstrationem posceret, Αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit, respondere solerent, omni demonstratione validiorem esse censentes, & haberi jubentes pythagoricam vocem*; sic rectè καθ' ἄνθρωπον retorquet *Theodoretus*, retorquet pariter *Gregorius Nazianzenus* invectivâ primâ in Julianum. In eundem sensum recens etiam respondit Nobilissimus *Huetius*, proœmio demonstrationis Evangel: *Neque verò ita ex ratione pendet Græcanica philosophia, ut non fidei etiam alicujus necessitatem agnoscat: Cum enim in rebus sacris promptum à Deo postulemus ad ejus dicta nutusque animi obsequium, parem in rebus civilibus Plato docilitatem desideravit; unamque hanc ex præstantissimis legem esse censuit, quæ vetat, ne juvenum quisquam in leges inquirere audeat, & quænam benè constitutæ sint, quænam secus, definire; at unumquemque jubet eas sic tanquam à Diis profectas admittere. Nec aliter ergà res divinas animatos esse vult; verum quæcunque super iis, etiam sine probabilibus vel necessariis argumentis credenda proponuntur, ea pronis accipi auribus & animis præcipit.* Plato Libr. I. de Legib.

XVI. Nempe, nihil absurdi est, Deum talia dogmata revelare, quorum rationes à nemine mortalium reddi queant, imò hoc sapientiâ ejus maximè est dignum. Et scitè atque prudenter pronunciavit vetustissimus ille noster *Irenæus*, Christi martyr: *si aliquis non invenerit causam omnium, quæ requiruntur, cogitet, quia homo est infinitum minor Deo, & qui parte acceperit gratiam, & qui nondum æqualis, vel similis sit factori, & qui omnium experientiam & cognitionem habere non possit, ut Deus.* Libr. III. c. 34.

XVII. Hæreticorum & acriculorum argutiis, quas illi adversus mysteria Trinitatis, incarnationis, resurrectionis mortuorum, comestionis corporis Christi in I. Cœnâ,

excogitarunt, dissolvendis, cathedræ Theologorum indies occupantur, & libri ab iis scripti solutionum ejusmodi sunt pleni. Nos hac vice contenti erimus illud *Hieronymi* talium hominum auribus insonare: *Qui Christianum te esse dicis, gentilium arma depone. Discant illi magis à te resurrectionem carnis* (& eadem reliquorum similium ratio) *confiteri, quam tu ab illis negare.* Dubitari certè non debet, ejusmodi Theomachorum tortilia texta dissui vicissim posse. Eruditè *Thomas I.* quæst I. *cum fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* Neq; tamen omittemus adjicere prudentissimum *B. Calixti* nostri monitum, quod ille, postquam dixisset, *dissolvendas* esse *objectiones* ab infidelibus & hæreticis contra mysteria fidei excogitatas, *ne de veritate, quam Ecclesia Christi profitetur, aut Porphyrius, aut Arius aliquis, se triumphum agere glorietur*, valdè oportune adjungit: *Nemo tamen à necessariis* ingenii & eruditionis *subsidiis non satis instructus, rem suis viribus majorem temere aggrediatur, quam à se commodè amoliri, & in alios magis idoneos transferre possit, ne implicet magis, quam extricet, & veritatem prodat potius, quam defendat.* Nam ut idem paulo ante dixerat: *Deus ab hac parte Ecclesiam suam non destituit, nec patitur deesse*, Athanasios, Augustinos, Theodoretos, Cyrillos, Thomas, Chemnitios Hunnios, Calixtos, Gerhardos, Hornejos, Titios, Graueros, Kesleros, Slevogtos, Stegmannos, Jacobos Martinios, Höpfneros, Mulæos, Mentzeros, Mauritios, Hackspanios, & similes, *per quos adversariis, quantumlibet vafris & versutis satisfiat.*

Epist. LXI. cap. II.

artic. 8.

Præfat. Tract. de Commun. sub utraq;

XIIX. Debebam etiam objectionem, mobilibus quibusdam

busdam ingeniis hodiè perfamiliarem, petitam â *discordiis Christianorum* in Religione sua *mutuis*, quæ commendatam ejus veritatem valdè dubiam illis videntur facere, operosiùs examinare: sed reservandum est etiam nonnihil alteri occasioni. Aliquid tamen afferemus, quod animum veritatis cupidi Lectoris interea si non exsaturet, saltem pascat. Ante omnia itaque agnoscendum est ingens Providentiæ divinæ, quæ Ecclesiæ suæ nunquam deest, beneficium, quod inter Ecclesiam Orientalem, & tres illas Occidentalis, diro schismate inter se divisas partes Consensus in Veteribus Symbolis & Confessionibus, cap. præcedenti memoratis adhuc maneat. In his videlicet Deus Spiritus Sanctus *Christianos orbe cœtus servat una mente totos.* Hac *fidei analogia*, ceu insigni adminiculo, scienter erit utendum, ut excitatæ suprà eam plurimæ illæ inter partes controversiæ paulatim imminuantur. Quod nunc controversias, quæ Lutheranis, Protestantibus, qui sic discriminis ergo vocantur, cum Pontificiis, sed & illas, quæ cum Reformatis, qui sic audire volunt, intercedunt, videtur nobis jam olim verisimè pronunciasse optimus *Philippus* Orat. in obitum B. Lutheri habita: *Sanis & piis, & non calumniosè judicantibus facilè est collatis sententiis videre, quæ congruant cum cœlesti doctrinâ, quæ non congruant; imò in omnium Piorum mentibus has controversias jam dijudicatas esse, non dubium est.* In medio est opus, eruditione & judicio maximis, nec minoribus labore & vigiliis, â B. Dn. *Johanne Gerhardo*, Doctore de Ecclesia Christi optimè merito congestum, & nomine *Confessionis Catholicæ* insignitum. Id, qui posito affectu, & cogitate leget, aut vehementer fallor, aut ex adductis apertissimis gravissimisque testimoniis deprehendet, *has controversias*

versias in ipsorum intelligentium, nec ab omni candore derelictorum Pontificiorum etiam *mentibus jam dijudicatas* esse, & calculos nobis favere. Cum Reformatis acerrima nostratibus pugna est de prædestinationis spisso negotio. Inter *scripta Adversaria Collationis Hagiens is* edita â *Petro Bertio* Lugduni Batavorum anno clɔ Iɔc xvi. comparet *Decretum Illustrium ac Potentum Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ munitum*, ut habet inscriptio *Sacræ Scripturæ Autoritate, & Conciliorum, Antiquorum Patrum, Confessionum publicarum, & recentiorum Doctorum testimoniis*; Decretum illud, qui integrum leget, & justa diligentia perpendet, non difficulter perspiciet, *in mentibus* illorum, qui hoc Decretum una cum adductis S. Scripturæ, & Veteris Ecclesiæ auctoritatibus, Illustribus illis ORDINIBVS suggesserunt, *controversiam* de prædestinatione, & huic connexis aliis, *jam dijudicatam fuisse*. Ponunt Ordines inter alias plurimas hanc etiam hypothesin: *Non invitari quenquam â Deo ad salutem, cui salutem omninò non dare decreverit*: Et subjiciunt magno numero illustria S. Scripturę dicta, etiam ista sequentia: II. Petr. III. 9. *Dominus* NON *vult* VLLOS *perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*, Rom. xiv. 15. *ne esca tua illum perdas, pro quo Christus est mortuus*. Joh. III. 16. *Ita Deus dilexit* MVNDVM, *ut filium suum unigenitum daret, ut, quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam &c.* I. Tim. II. 4. *qui* OMNES *homines vult servari.* v. 6. *qui se dedit redemptionis pretium pro* OMNIBVS, I. Joh. II. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed etiam pro* TOTIVS MVNDI *peccatis*, II. Petr. II. 1. *dominum qui ipsos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi ipsis celerem interitum*. Ezech. XXXIII. 11. *Ne vivam ego, dictum Domini*

Domini Dei, si delector morte improbi, sed delector, cum reverti-tur improbus à viâ suâ, ut vivat, Joh. V. 34. *Hæc dico, ut vos servemini* ℣. 40. *sed* NON VULTIS *venire ad me, ut vitam habeatis*. Luc. VII. 30. *Pharisæi & Legisperiti irritum erga se fecerunt consilum Dei, non baptizati à Johanne*. Act. VII. 51. *Vos semper Spiritui Sancto obnitimini*, & similia plura; quæ OMNIA ORDINES voluerunt à Pastoribus Reformatis *infigi populis*. Jam verò universalis Dei voluntas salvatrix, universale ex intentione Dei meritum Christi, universalis intentio Dei vocandi homines ad credendum in Christum, facultate resistendi vocationi divinæ iis relictâ, qui per Evangelium vocantur; absolutam electionem quorundam ad vitam, & quorundam ab hac ipsa absolutam rejectionem, & gratiam conversionis irresistibilem simul omnia fortissimè excludunt: ne Reformatis quidem ipsis, si interrogentur, illud negaturis. In Controversia de S. Cœnâ, judicium formare licebit, ab utrâ parte stet veritas, è quodam *Bellarmini* Reformatis oppositio discursu: *In exemplis allatis semper prædicatur de disparato disparatum, ut patet ex illis: Boves sunt anni, semen est verbum, Christus est vitis &c. Is his enim cum nullo modo fieri possit, ut illa proprie sint vera, cogimur necessariò recurrere ad tropos; At in hac sententia HOC EST CORPVS non prædicatur disparatum de disparato, saltem verbis disertis. Quid enim illud HOC referat, in quæstione est, & non debet assumi tanquam certum, quod referat panem, cum expressè scriptura id non habeat.* Difficultates quibus nostra sententia premi videtur, sunt minores illis, quibus summa S. Trinitatis & Incarnationis mysteria urgentur. Sicut tamen his non obstantibus, Reformati ibi hactenus verbis Scripturæ propriis inhærent,

Decreto ipso

libr. I. de Euchar. c. XI.

ita debent id ipsum in hac de S. Cœnâ controversia observare, si sibimetipsis in disputando constare velint. Atque sic etiam saltem in *animis piorum*, qui affectus domare, & Deo gloriam dare volunt, hanc quoque infelicem litem jam dijudicatam esse, certè facilè dijudicari posse, apertum esse putamus.

XIX. De Græcotum inveteratâ ab Ecclesia latina circa processionem Spiritus Sancti etiam â Filio dissensione, moderatam sententiam tulit Dn. D. *Johannes Hulsemannus* Disp. de Dogmatibus ad salutem cognitu necessariis, cui inhærendum erat. Certè inhæsit illi Dn. D. *Johannes Meisnerus*, Ordin. Theolog: Witteberg. hodiè Senior, & ingens ornamentum. Disput. de proces. Spiritus Sancti.

Anno clɔ Iɔc LII habita §§. 22. 23.

XX. Neo-photinianos pro Christianis æquivoce dictis habemus; Dogmata eorum propria, quia cum Veteribus hæresibus jam olim in Ecclesia confutatis & damnatis, vel eadem prorsus sunt (ne ipsis quidem id diffitentibus) vel deteriora etiam; primitivæ Ecclesiæ gravissimo præjudicio validè urgentur, imò vel ob hoc ipsum solum contemni planè possent. *Vincentius Lerinensis* vocat *sceleratam præsumptionem, quando aliqui sacram scripturam se primos & solos intelligere, & omnes eos ignorasse jactant, quicunque ante se divini mysterij eloquia tractavissent, universos scilicet Sacerdotes, universos Confessores & Martyres totam postremo etiam nunc errare, & semper errasse adseverent Ecclesiam, quæ, ut ipsis videtur, ignaros, erroneosq; Doctores, & secuta esset, & sequeretur*, quibus verbis ipsam Neo-photinianorum ἀυθάδειαν pinxit. Quemadmodum itaque progenitores Neo-photinianorum Vetus omnis Ecclesia, ceu catharmata, extra fines suos projecit; ita quoque hodie foris & extra Ecclesiam

Commonit. 1. cap. penult.

cleſiam, hanc illorum *progeniem vitioſiorem* ſubſiſtere nos pronunciamus: nec controverſias, quas illi Eccleſiæ Dei denuò moverunt, controverſiis *Chriſtianorum mutuis* accenſemus. Domeſticæ nuper extortæ lites, quibus animi Doctorum diſtrahuntur peſſimè, ſuper quæſtionibus tamen, quæ fidei fundamenta non lædunt, ſunt exortæ. In talibus *debebat adhiberi diſceptatio moderata, & abeſſe error* præfractè *opinantium*, ſe ſolos præciſe *ſcire, quod fortè neſciunt. Quid enim opus eſt, ut hæc atq; ejuſmodi affirmentur vel negentur, vel* DEFINIANTUR *cum diſcrimine* (caritatis & unitatis fraternæ) *quando ſine crimine neſciuntur?* ut doctiſſimus idemque modeſtiſſimus (hæc enim conjuncta eſſe amant) *Hipponenſis* ille *Epiſcopus* prudentiſſimè jam olim judicavit. Quem ſi ſequeremur, Eccleſiæ noſtræ tranquillitas ſponte eſſet reditura. Eandem & facilius, & rectius licebit retinere, ſi quæſtiones tales aliquando exortæ planè ſopiantur; quàm ſi in alterutram partem rigidè definiantur. Certe Vetus Eccleſia quæſtiones indifferentes ab aliquibus *determinari* ſub neceſsitate credendi, atque hinc propoſitâ pœnâ rejectionis in diſſentientes, facinus hæreſi proximum judicavit, ut præclarè docuit Academiæ noſtræ decus ingens Dn D. *Conringius* Præfat. longe doctiſsimâ in Caſſandrum, Pontificiis de profeſſo oppoſitâ.

Auguſtin. Enchirid. cap. 59.

à pag. 126. usque ad pag. 131.

CAPUT

CAPVT III.

Ostendens Vanitatem & absurditatem Religionis Paganicæ seu Ethnicæ.

§. I.

ETsi adstructa veritate Religionis Christianæ, omnes alias, huic aut contrarias, aut ab hac diversas falsas esse oportet, cum *cognitio veritatis omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare, & subvertere idonea sit*; placet nihilominus Religionum, quæ in mundo præter Christianam receptæ sunt, falsitatem & absurditatem speciatim ostendere, initio â Paganismo seu Religione Paganica aut Ethnicâ facto. De Ratione appellationis *Paganorum*, *Paganismi*, & aliis horum synonymis erudita quædam collegerunt doctissimus Batavus *Dn. Hornbeck* de Conversione Indor. & Gentil. lib. 1. cap 3. B. *Dn. Dilherrus* Elect. Libr. II. c 6. & B. Dn. *Kromayerus* scrutin. Relig. Disp. II. part. I. Nos de re ipsa statim agemus.

August. Epist. 56.

II. Hæc itaque detestanda Paganica superstitio, sive Deorum plurium & falsorum cultus, *ex EVROPA quidem Dei beneficio exterminatus est, nisi fortè reliquiæ quædam ejus in ultimis oris Septentrionis, apud nonnullos è Lappica aut Finnicâ gente, supersint. In ipsa vero* ASIA *idololatrarum abundè adhuc est.* AFRICA, *tertia pars orbis veteribus cognita, etsi non tota, itidem idololatras habet plurimos.* AMERICAM *non immeritò quasi alterum orbem habemus & appellamus. Universam, priusquam auspiciis Regum Castellanorum â Christophoro Columbo detegeretur*, (id autem factum fuit sexennio ante, quam Gvalco Gama promontorium Bonæ spei

Ann. 1492.

supe-

superaret, *fœda & detestanda idololatria occupaverat; cui etiamnum hodiè gentes bene multæ, quas Christianis non datum fuit subigere, operantur. Quanquam ne quidem hactenus ad omnes penetratum fuit, & cum in America meridionali mediterraneæ nonnullæ, tum in vasto tractu Magellanico, & altero oppositio septentriones versus plurimæ adhuc incognitæ sunt, cunctæ sine dubio non minus barbariei quam idolorum cultibus obnoxiæ.* Ut B. Dn. *Calixtus* noster in Apparatu Theologico, illo doctissimo, pluribus annotavit. Fusius quoque *de partibus orbis, quas Idololatræ possident*, egit doctissimus Anglus *Edoardus Brerewodus*, Astronomiæ in Collegio Greshamensi olim Professor ordin. quem latine loquentem Celeberrimo *Jonstono* debemus, in Religionum & Lingvar. scrutinio part. I. passim quoque *Aubertus Miræus* Bruxellensis in eleganti libello, de Statu Religionis Christ. per Europ. Asiam, Afric. & Orbem Novum, ad quos celeberrimos Autores B. L. remittimus, isthæc enim prolixius inquirere, nec instituti nostri ratio, nec pagellarum angustia patitur. pag. 71. seqqt. cap. 2.

III. Sed, mare quoque profundum valdè, & amplum ingrederer, si ea, quæ de ejus ortu, progressu, incrementis, varietate, fallaciis, monstrositate, decrementis, interitu in cultioribus orbis partibus & similibus afferri possunt, omnia examinare susciperem; Tot enim ac tam varia occurrunt, ut dissertationi ea includere vix liceat, nisi limites destinatæ brevitatis, hactenus, quantum possibile fuit, observatæ, audentius transilire velim. E tam multis igitur quædam pauciora seligam, neque ea, nisi quam brevissimè tractabo, lineas tantum ducens, ut ita loquar, cætera B. Lectoris committens & commendans meditationibus.

IV. Ortum ejus & incrementa quod concernit, ex Geneſ IV. 5 certum quidem eſt, primogenitum Adami Cain iras ingentes animo concepiſſe, cum animadverteret ſuam oblationem rejici, & ex adverſo approbari ſacrificium Abel, judicio Dei μαρτυρέντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ, *teſtimonium perhibentis de muneribus ejus* Ebr. XI. 4. Igne ſcilicet oblatis cœlitus immiſſo, quo ſigno accepta ſibi ſacrificia Deus edocebat. Teſtatur inſuper Scriptura, Cainum auditâ ſententiâ *exiiſſe à facie Domini*, hoc eſt, juxta *Aben Eſram*, Loco illo, ubi Deus ſingulari ratione ſe manifeſtare conſvevit. *Joſephus* etiam Libr. I. Antiqv. addit, tantum abfuiſſe, ut vitam in melius mutaverit, ut pejor etiam evaſerit, & filiis nepotibusq; ſuis latrociniorũ & nequitiæ ſociis magiſter ad facinoroſam vitam exſtiterit. Quibus argumentis inducti non pauci Cainum idololatriæ inventæ reum agunt; & propterea falſos Doctores *Viam Caini ingreſſos* pronunciari cenſent. Verùm, quod pace ita ſentientium dixerim; nec odium Dei, nec invidia, nec ſcelerata vita quævis idololatriam pariter includit. Diſcedere cogebatur Cain per ſententiam divinam ejectus: & Caini viam ingrediuntur falſi Doctores, dum *blaſphemant, quæ ignorant*, animas occidunt, vitamque æternam fratribus adimunt. Habent ſanè illi, qui ante diluvium Idololatriam cœpiſſe ſtatuunt, *Tertullianum* conſentientem: ſed Is ex apocrypho ſcripto Prophetiæ Enoch cauſæ patrocinium quærit. Inter Judæos etiam magni nominis *Rabbi Moimonides* aſſerit, *tempore Enos ſtellarum cultum cœpiſſe, ipſumque Patriarcham inter errantes fuiſſe.* Inductus proculdubio perversâ, multisque tamen Judæis receptâ explicatione verborum Geneſ. IV. 26 quæ reddunt: *tunc profanatum eſt invocando nomen Domini.* A viris

Geneſ IV 16 Lev IX. 24. Jud VI. 21. 1 Chron XVIII. 38. c. XX. 26.

c. 3.

Ep. Jud. verſ. 11.

Gen. IV. 12. 14.

Ep Jud. verſ. 10.

libr. de Idolol.

viris tamen eruditissimis abundè ostensum est, quàm contorta, textuique prorsus contraria sit hæc expositio: nec nostri nunc est instituti, quæ celeberrimi Viri *Mercerus, Drusius, Torniellus, Seldenus, Joh. Cunr. Dietericus*, aliique de genuino hujus dicti sensu tradiderunt, prolixè repetere. Hactenus certè nihil solidi adductum novimus, quod evincat, idololatriam formalem crassam ante diluvium cœpisse. Recentiorem eam agnoscunt *Cyrillus, & Epiphanius*, quibus calculum adjicit *Alstedius* in Thesaur. Chronol p.289. & *Simon Episcopius*, cujus hæc sunt verba: *In primo mundo nulla apparuit Religionis circa objectum corruptio. Idololatria in eo locum non habuit, nec idololatram ullum tùm fuisse, legere est. Causa ejus rei quæ fuerit, haud facilè divinare est, verosimile est, id eveniße (1) quia recens adhuc erat mundi creati memoria, & traditio divinitatis constans in familiis ab Adamo instructis, ob longævitatem, quâ tum temporis non paucos donabat Deus. (2) quia apparitiones Dei crebræ erant (3) Quia conservata sollicitè fuit religionis puritas ab iis, qui filii Dei vocabantur.* In eandem sententiam abit *D Joh. Forbesius à Corse* Presbyter & Professor Acad. Aberdonensis in Scotia, dum scribit: *Nonnulli ante diluvium fuisse idola suspicati sunt, sed nullo nixi firmo argumento.*

Libr III. contra Jul. In Panar. Institut. Theol libr. II. c.X.

Instruct. Hist Theol Libr VII. c VII. §. 2.

V. Post diluvium verò brevi ad Idololatriam declinarunt mortales. Et fortassis degener filius Noæ, *Cham* disseminavit impurum cultum in posteros suos, quibus maledixerat Noah. Filii autem Cham erant Chus & Misraim, & Phut, & Canaan. *A Chus venêre Æthiopes, à Mizraim Ægyptii; unde terra Misraim dicta 1. Paral. I. 8. Omnium propè idololatriarum origo ab Ægyptiis*, quibus annumerantur Chaldæi, aut Sabæi, *ab his ad Persas, Græcos & alias nationes ma-*

Genes. IX. 25.

Antiqv. Biblic. p.274.

nasse creditur, de quibus videri potest B. Dn. *Joh. Conrad. Dietericus*. Decantata illa Gentilibus Deorum nomina dum considéremus, apud *Xenophontem* in Æquivocis tale Nini Epitaphium legimus. *Est mihi pater Jupiter Belus, Avus Saturnus Babylonius, Proavus Saturnus Æthiops, Abavus Saturnus Ægyptius, Atavus Cœlus Phœnix Ogyes.* De his non inconcinnè ita scribit *Bullingerus* Lib. I. de Orig. Error. c. X. *Jupiter Belus fuit Nini Pater, Saturnus verò Babylonius Nimroth, Saturnus Æthiops Chus est, Saturnus autem Ægyptius Cham* (Ægyptus enim terra Cham. Ps. 105. 23, 27.) *& Cœlus vel Ogyes vel Phœnix Noa pater est.* Agyptios deinde secuti sunt Græci, uti passim ostendit Nobiliss. D. *Joh. Marschami* Angli, Equitis aurati Canon Chronicus Ægyptiacus p. 34. 113. 124. 132. & 264. Secuti sunt Romani, quibus duodecim Dii magni erant *Dii Majorum gentium.* Sed de iis omnibus egregie egerunt antiquitatum Scrutatores eximii, *Joh. Baptista Casalius Romanus* in nuperrimè recuso opere de profanis Ægyptiorum & Romanorum, & sacris Christianorum Ritibus part. I. præprimis capp. IV. V. VI. & part. II. cap. I. & *Rosinus* Antiquit. Roman. libr. II. Verum enim vero superstite adhuc Noah, (qui ad tempora Abrahami vixit) inter eos etiam, qui Genealogiæ Christi fuerunt inserti, exercitam fuisse idololatriam constat. *Epiphanius* in Panario nomen *Saruch* interpretatur *irritationem: Nam eo*, inquit, *tempore incœpit idololatria: nondum tamen in statuis sed duntaxat imaginibus per colores repræsentatis. Nascitur ipsi Saruch filius Nahor & huic Thare, Hinc fieri cœperunt statuæ ex luto & arte singulari per industriam Tharæ.* Et quid clarius esse posset Verbis Josuæ. *Transfluvium habitarunt Patres Vestri à seculo, Terah pater Abraham & pater Nahor, servierunt Diis*

diis alienis. cap. 24, 2. Sic & Laban Deastros familiares coluit, quos filia Rahel in discessu clam abstulit, Theraphim dictos, de quibus præter *Seldenum Joh. Buxtorfius* selectissima exhibuit, in Lexic. Talm. Rabbinico. rad. תרף: ut & *Vrsinus* de Mosaic Antiquit. p. 125. *Hottinger.* primit. Heidelberg. p. 396. aliiq; plures, ut de Comentatoribus nihil dicam, plerisq; in eo contentientibus, fuisse hæc Theraphim idola, eaque domestica, pro Diis penatibus, & domesticis Laribus culta, per quæ Satanas, ab hominibus quacunque occasione oblata consultus, tanquam ex tripode responsa dedit, juxta illud Zach. XI. 2. *Teraphim loquuntur vanitatem*, eo ipso enim homines â vero Dei cultu avertere, seque sub idolis istis sistere potuit. Quæ *Caramueli*, pro ingenii pruritu & novitatis studio, de his Theraphim statuere visa sunt Th. videantur fund. Tom. III. Asserit quod *non fuerint idola in lege Dei prohibita, cum patrum sententia non sit peccatum Teraphim colere, sed transgredi*, hoc est, *nimium colere*: Statim quoque subjicit: *fuisse Theraphim creaturarum intellectualium*, Angelorum, hominum, *imagines, quibus licitè honorem urbanum, sive duliæ concederes, hunc transgrederéris illicitè, si latriam penderes*: Provocat insuper idem impudens nescio an imprudens ad duo S. Scripturæ testimonia. Nos tamen eum ferè nullam mereantur refutationem, ea intacta relinquemus: si tamen libuerit, poterit Benevolus Lector adire Dn. *Reiseri* Dissert. Epistol. ad Spizelium de Origine & progressu Atheismi, ibique argutias has discussas deprehendet. p. 341. pag. pr. sequente.

VI. Quantumvis autem Israelitæ post egressum ex Ægypto Dei Ecclesiam repræsentarent, circumcisionem legesque præter hanc ipsis injunctas, quadantenus obser-

varent, & sic â Paganis ex divino instituto separarentur, ad Paganismum tamen inclinasse eos, & recidivam propemodum passos fuisse S. Literæ satis edocent. Conferantur modo Liber Judicum, & quæ ipsis objicit Stephanus Actor. VII. 41.

VII. Diviso deinceps regno, quod contigit sub Jeroboamo, idololatriâ crassâ se prorsus enormiter contaminarunt, uti legimus 2. Reg. X. 29. Liceat autem Idololatriam Crassam dicere, quando error est in objecto, cum pro Deo colitur, quod Deus non est: Subtilem, quæ errat in modo, quando non eo modo colitur Deus, quo id fieri voluit.

VIII. Sed, longum esset ire per infinita errorum exempla, nec puto operæ pretium esse, cum exstet copiosissimæ hujus materiæ elaborator *Vossius*, *qui in his enarrandis non parum sudavit, & post quem scribere esset soli lumen inferre*, ceu loquitur Vir ipse doctissimus *Dn. J. C. Dietericus* Antiqv. Bibl. Idem quoque eodem loco: *Quam diversa & dissona fuerit Theastrolatria Ægyptiorum, Assyriorum, & aliorum populorum, è S. Scriptura edocemur, in qua miri Deilli hujus & illius gentis recensentur, qui obscuritate suâ negotium facessunt interpretibus, & de iis syntagmate peculiari egit industriosè* Joh. Seldenus, *cujus Jcti quantus fuerit in hæc studia nostra amor, vel ex unico illo libro, docto sanè & laborioso facilè quivis potest agnoscere.* Hi itaque ab optimo *Dieterico* commendati libri contulantur.

De Theol. Gentil. pag. 261. lat. b.

2 Reg. XVII. 30. 31.

IX. *Perseveravit hæc idololatriæ cæcitas penes homines, usque quo Christus R. N. humana carne assumpta misit Apostolos suos in universum mundum prædicare Evangelium, quorum quoque discipuli idem sunt prosequuti: Donec Theodosii, & Valentiani imperantium jussu prædicta idola, eorumq; templa* [in provinciis Romani Imperii] *funditus eversa sunt:*

sunt: Vnde gentiles ubique concussi, atque pro defensione Deorum suorum multos Christianos occiderunt, nec non Episcopos, inter quos Marcellum Apameæ in Syria Episcopum, cum famosissimum ejusdem civitatis Jovis templum demoliendum curaret: uti pluribus enarrat *Joh. Baptista Casalius Romanus* de prof. Rom. ritibus cap. 1 sub fin. & *Joh. Lichtfoot* in eruditionis raræ thesauro Hor. Hebr: & Thalm: ad Epistol. ad Roman. cap. VIII. vers. 20. *Succubuit totus mundus sub Ethnicismo â confusione linguarum ad introductionem Evangelii inter omnes gentes annis bis millenis & amplius, & in miserrimâ hac ejus conditione, quis non observaverit iratum Deum?* Per Asiam certè & Africam *etiam nunc agit princeps cui aëris potestas est* ἐν τοῖς υἱοις τῆς ἀπειθείας, superquos mansit *Ira DEI.* Horrenda prorsus sunt, quæ de extremâ Gentium Asiaticarum coecitate produnt *Petrus dela Valle*, Italus, *Johannes Baptista Tavernier*, Gallus, *Neuhovius*, Belgain Itinerariis. *O. Dapperus* in discript. Regni magni Mogolis, *Alexander Rosse* de Variis Religionibus *Abraham Rogerius* Anglus in aperta Janua ad Gentilismi arcana: Et qui duos hosce Britannos Germanicè loqvi fecit interpres, notisq; Scriptis ipsis longè doctioribus verè illustravit, Pl. Rev. & Cl. V. Dn. C. *Arnoldus.* Non minorem Dæmonolatriam & Idololatriam Americanas inter gentes grassari Scriptores unanimiter testantur.

p. m. 124.

Eph. II. 2, c. V. 6.

X. His itaque jam præmissis, initio falsitatem & absurditatem suam Paganismum prodere stolida multitudinis Deorum introductione meritò animadvertimus. Recta enim ratio validè illam πολυθεότητα redarguit. *Ens siquidem increatum non potest non numero esse unicum. Quodcunque enim non est unum, ideo non est unum, quia est ab alio, & iterum iterumque productum, quod Enti increato repugnat.* Deinde

inde Ens summum simpliciter, Ens perfectum simpliciter, quale sub nomine Dei omnes concipiunt, non potest esse nisi unicum; contradictio enim est simpliciter perfectum esse, id est, omnia Entia perfectione superare, & tamen unicum non esse, ita enim simul & omnia Entia, & non omnia Entia perfectione superaret: omnia quidem per illud, quod est simpliciter perfectissimum, non omnia per hoc, quod non est unicum, quia, si adhuc aliud esset perfectissimum, id ipsum perfectione non superaret, uti in Loc. suis Theologic. docet de me, & universa nostra Academia optimè meritus B. Dn. D. *Titius.*

Systèm. Theol. Loc. II. § XXIV. incil. e.

Quibus eruditissimis jungere lubet alias, ejusdem ponderis, cum nullas rationes, (ut *Maresii* verba mea faciam) putem unquam rejiciendas, quibus vel Dei existentia, vel unitas illius comprobetur; nam quæ rationes uni leviores videbuntur, alteri fortiores ac validiores apparebunt, prout non idem est palatum vel gustus omnium, & utræ magis

De ver Rel L. I. c. 3.

stringant & sint solidiores, judicium esto penes Lectorem, Illustris *Grotii* argumenta contra πολυθεότητος insaniam sunt sequentia *Deus est id, quod est necessariò, sive per se; necessario autem sive per se quicquid est, non quà in genere consideratum, sed quà actu est: actu autem sunt res singulæ. Quid si plures: Deos ponas, jam in singulis nihil invenies, cur necessario sint, nihilque cur magis duo, quam tres aut decem, quam quinque credantur. Adde, quod multiplicatio rerum singularium congenerum est ex causarum fœcunditate, pro qua ipsæ res plures enascuntur, aut pauciores: Dei autem nec origo, nec causa ulla est. Tum verò in singulis Diversis sunt quædam proprietates singulares, quibus inter se discriminentur, quas in Deo, qui natura est necessaria ponere non est necessarium. Neq; verò usquam signa deprehendas Deorum plurium. Nam tota hæc universitas unum facit mundum; in eo unum pulcherrimum*

tum

soli in homine etiam unoquoque una imperat mens: una tantum potest esse suprema causa, finis ultimus unus. Praterea si duo essent aut plures Dii liberè agentes & volentes, possent contraria velle: impediretur autem alter ab altero, quominus quod vellet, efficeret: impediri vero posse, Deo indignum est. Quo ultimo ratiocinio idem quoque defendit Nobilisſ. *Casalius, Romanus* de Ritibus Romanor. profanis. Qui duo constituunt principia, unum boni, alterum mali, (juxta errorem Manichæorum) nec principii rationem, nec mali naturam sunt assecuti; Omne enim principium, ut primum, sic unicum est, quod verbis æternum colendi Dn. Præceptoris mei initio hujus §. fuit ostensum. *Quin ex duobus pugnantibus inter se destructio sequi potest, ordinata constructio non potest. Neque vero sicut aliquid est per se bonum, ita potest esse aliquid malum per se & omni modo, cum malum sit defectus quidam, qui esse nequit, nisi in re existente, ipsum autem existere jam boni est aliquid.* Differente *Dn. Maresio* Disp. select. part. I. Cap. I. p. 68.

X. Tanta vis est Veritatis ut inter ipsos Gentiles Viri cordati sponte confessi sint: Unum tantum esse Deum, quorum effata recenset *Plessæus* de Verit. Relig. Christ. Ne tamen omninò nullum adducamus, instituto nostro sufficere poterit in medium protulisse summum philosophorum *Aristotelem*, qui Metaphysicorum libr. XII. primum movens vocat *unum numero*, non tantum specie, prout ex unitate motoris unitatem mobilis, scilicet cœli, colligit. Claudit quoque citatum librum dicto illo *Homeri* notissimo: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος*, *Non est bonum pluralitas principatuum: unicus ergo Princeps.* c. 3. cap 8. f. ed. Casaub.

XI. Vnitati autem divinæ non obstat multitudo divinorum Attributorum, aut varietas operationum; attributa

buta enim divina ab essentia & inter se tantum ratione distingvuntur, λόγῳ, ut loqvuntur philosophi, non ὑποκειμένῳ: Ab unâ etiam essentia diversas operationes proficisci non repugnat. Nec Vnitatē essentiæ solvit mysteriū S. Trinitatis, 1. Joh. V. 7. nam *hi tres Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus unum sunt*, Deus quippe de personis non prædicatur ut superius & universale quid de suis inferioribus, sed ut essentia singularis de suis distinctis modis subsistendi. Neque divinæ unitati adversatur, quod celeberrimi quoque Philosophi nomine *Deorum* in plurali sint usi, fecerunt namque, quo furorem plebis effugerent, *Socratis* exemplo cautiores redditi, etenim ille cicutæ succum bibere fuit coactus, quod unicum numen statuens Deos minorum gentium palam traduceret.

XII. Verum, ut ē diverticulo in viam redeam, magis adhuc absurditatem Paganismi manifestat insana & ridicula *conditio* Deorum, qualem ille tradit. Docebunt hanc egregiè verba *S. Cypriani* in libello de Idolorum vanitate ad Demetrianum: *Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cæperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra, quibus & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant: Inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solaria. Et videamus, an stet hæc apud singulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina. Castor & pollux alternis moriuntur, ut vivant; Æsculapius, ut in Deum surgat, fulminatur. Hercules, ut hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit.*

pit. Antrum Jovis in Creta visitur, & sepulchrum ejus ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est; Inde Latium de latebra ejus nomen accepit. Hic literas imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, undè ærarium Saturni vocatur: & rusticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens senex pingitur: Hunc fugatum hospitio Janus exceperat, de cujus nomine Janiculum dictum, & mensis Januarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur. Mauri verò manifestè reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt: Inde per gentes & provincias singulas varia Deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus Deus colitur, sed propria cuique Majorum suorum cultura servatur. Hoc ita esse Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus, á sacerdote secretum; quod Majorum & Regum memoria servata sit, inde colendi & sacrificandi ritus inoleverit. Si autem aliquando dii nati sunt, cur non hodieq; nascuntur? nisi si forte Jupiter senuit, aut partus in Junone aefecit. Sic vivis quasi coloribus depingit mirabilem Deorum gentilium conditionem S *Cyprianus* Carthaginiensis Episcopus, *vir*, teste *Bellarmino* de script. Eccles. *eloquentissimus.* Eandem quoque stoliditatem vidit, ipse Paganus, *Plinius*, qui libro I. Naturalis historiæ, quam *eximium, & nunquam satis laudatum opus*, vocat *Vossius*, hanc ingenuam confessionem reliquit: *Gentes quædam animalia etiam aliqua & obscæna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fætidos cibos, & alia similia jurantes. Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, & alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros*

cap. 7.

de Histor. Latin. c. 29.

geros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes morientesq; puerilium prope deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adulteria inter ipsos fingi: mox jurgia & odia, atque etiam furtorum esse, atque scelerum numina. Imprimis hic insaniverunt Ægyptii eruditione licet celebres, qui (ne dicam de Astris) crocodilos, serpentes, scarabæos, pisces, vitulos, oves, *animalia miserrima* coluerunt; Hortensia quoque, inter quæ principatum obtinuit cæpe, quam non edendam senserunt, unde haud immerito illos deridet Juvenalis:

Sapient xv. 18.

Sat. XV. v. 10

Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morsu,
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

de quibus & similibus lectu sunt dignissima, quæ habet Vir laude dignissimus Dn. *Hornb.* de Convers. Indor. & Gentil. libr. I. c. 4. addi potest c. 5. in quo de Gentilismo hodierno, Africanor. & Asianor. &c. agitur.

XIV. Ridiculæ huic Deorum Gentilium conditioni accedit cultus eorundem nefarius, aliquando tam immani crudelitate, turpitudine aliquando tam abominanda peractus, ut res penè fidem superet; Non enim tantum *è frugibus terræ diis suis libare, & offerre sunt soliti* Ethnici, ex Poëtis advertente *Gabriele Albaspinæo* Notis in Canones Concil. Eliberini: sed, pleræque gentes humanis quoque victimis Deos suos sangvinis appetentissimos & colere, & placare instituerunt. Ostensum est hoc omne adeò pulchrè, adeò copiosè ab incomparabili nostro *Calixto* in Epit. Theol. moral., productis ipsis scriptorum Ethnicorum testimoniis, ut nihil penè adjici posse videatur; placet nihilominus hic producere, quæ eundem in sensum annotavit

Can. XL.

tavit Joh. Bodinus Andegavensis, Libr. I. de Republ. cap. V. pag. 54. edit. VVechelianæ. *Homini voluntatem Deus omni necessitate solutam indidit, sed homines jam pridem à recto naturæ cursu deflexerunt: ac tanta vis est opinionis depravatæ, ut legis habeat autoritatem, ac naturâ potentius dominetur: nulla enim fere tanta impietas est, nullum tantum scelus, quod virtutis non induat nomen. Vnum hoc sit argumentum quod nulla gens est, nulla natio, quæ humanis sacrificiis, quibus adhuc Peruani ac Brasiliani utuntur, fictos hominum opinione Deos olim placari non putarit. Et quidem summa religione Majorum nostrorum ad ejusmodi sacrificia concursus fiebat. Eadem pietate & caritate parentes olim senio fractos in Thracum regione à liberis occidi, & iis epulari consuevisse legimus, ne scilicet langverent morbi diuturnitate, ac mortui vermium esca fierent. Neque majoribus nostris solum humanas hostias sacrificare moris erat; quod ab illis factum est usque ad Tiberii dominatum: sed etiam Amorræis & Ammonitis filios mactare usitatum fuit: neque tantum Barbaris, ut Scythis omnibus solemne fuisse Plutarchus tradit, sed etiam Græcis; in quibus non modo fuit, sed à quibus ad omnes populos humanitas pervasit: Nam Achylles apud Homerum, Patroclo humana cæde parentavit; Themistocles ipse, bello Persico tribus, rex Persarum eodem tempore duodecim hominibus idem fecerunt, nec Jupiter Lycius aliter, quam humana cæde placari potuisse dicitur, ambiguitate veteris oraculi ac verbi φως, quo sine accentu lux & homo significatur. Nam M. Tullius majores nostros execratur, quod humano sangvine litarent; sed id oratorie, ut causæ inserviret, cum M. Varro id omnibus Italiæ populis tribuat: atque etiam vere sacro vivendi morem fuisse, ut quicquid seu hominum, seu bestiarum eo anno natum esset, immolari consuevisse. Hebræis quoque ipsis quodammodo licu-*

isse plerique arbitrantur, ex ipsius Jephthes Ducis Hebræorum voto solemni, qui iisdem fere temporibus filiam immortali Deo mactasse dicitur, quo Agamemnon Græcorum imperator Iphigeniam. Sed concepta vota religiosissimi Ducis verius ac melius interpretantur eruditi de pudicitia Virginis Deo consecrata, quam de humana cæde, quam lex ipsa divina execratur, cæteri populi humanis hostiis summa religione fecerunt. De Danis qui propius Patriam nostram attingunt & Nortmannis scribit *Ditmarus Mersburgensis*, quod avito loco post exacta singula novennia mense Januario convenire,& *diis suis* XCIX *homines, totidem equos cum canibus & gallis immolare* consveverint, â qua impietate eos primus abduxerit Henricus Auceps. Plura adderem, nisi vererer, B. Lectori fastidium creare, quare isthæc sufficiant.

Libr. I. Chron.

XIV. Error fœcundum admodum malum est, nec facilè homines ubi à tramite discedere inceperunt, consistunt: quod ipsum etiam in Idololatriâ factum videmus. Prima ab uniusveri Dei cultu digressio peperit innumeras superstitiones, quas seorsim retellere ne quidem operæ pretium censeo. Sufficiat in præsenti omnibus vel plerisque communia expendisse. Cum divinitatem ex beneficentia æstimare gentiles cœpissent, quidam eorum, hominibus de societate humana benè meritis ob insignia facta vel inventa divinos honores detulerunt, deque Heroibus istis innumeras fabulas excogitarunt, quarum nonnullæ mystico sensu de beneficiis eorum loquebantur, & revelationis loco habebantur. Alii non tam personas quam res naturales propter utilitatem divinitatis participes crediderunt,& eo prætextu adorarunt; ita quidem ut primitùs Imagines quasdam & Sculpturas Symbola rerum constituerent, & traditione

ditione quadam persvasi, certa tempora rituumque momenta observarent, ingenti fiducia freti, fore, ut è rebus in imagines virtus aliqua benefica supernaturalis & divina per influentiam derivetur. Quæ sanè superstitio inter eos etiam, qui Christiani audiunt, multos fascinat, cum revera sit Idololatriæ ista species quæ Exod. XX. 4 prohibetur. Reliqui absque ambagibus, absque revelationum figmentis, traditionumq; apparatu, ipsos communium beneficiorum (quos illi perperam primos putarunt) fontes adire maluerunt, & Solem, Lunam, Stellas, atque elementa adorarunt: Ita apud *Sextum Empiricum* Prodicus Chius censet, ipsa astra homines adorasse διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν, *ob eorum utilitatem*. Et de nostris Majoribus German. *Julius Cæsar* scripsit: *Deorum numero eos solos ducunt, quorum opibus apertè juvantur: Solem & Vulcanum* (ignem) *& Lunam*. Hujus generis Idololatria magnam Americæ partem hodieque fallit. Hominibus, qui magnis beneficiis humani generis partem affecerunt veræ divinitatis gloriam facile detrahit ab ipsorum cultoribus etiam agnitus omnipotentiæ & immutabilitatis defectus; & mors ipsa, rebus humanis ita eos exemit, ut in vitam non reversi fuerint. Reliquarum autem rerum naturalium efficaciam quod attinet, illa demum Benignitas divina est, quæ liberè prorsus sese exserere valet *Libertate exercitii*, quâ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere; & Libertate *quoad speciem actus*, quâ requisitis omnibus eodem modo datis contraria & diversæ producit, & non solùm omniũ in cõmuni sed etiã singulorum rationem habet, quid, cui, quando, & quantum tribuendum sit decernens. Ipsa etiam decreta sua ita exsequi ut possit requiritur, ut nulla vis agentem unquam impedire valeat.

Lib. VIII. adv. Mathem.

valeat. Tali facultate præditum sit necesse est, quod invocamus, à quo vel adversa metuimus, vel bona petimus. Sed Astra & Elementa agunt virtute naturali, & præsentibus iis, quæ de cœtero requiruntur, non possunt non agere; nec eodem modo se habentibus subjectis contraria aut diversa producere sustinent; nec pro lubitu munera sua personis attemperare norunt. Tantum itaque abest ut pro Diis veris haberi & coli mereantur, ut potius ad Deum unum verum, Creatorum suum, cujus nutu reguntur, nos quasi manuducant. *Laudant enim Deum Sol & Luna, laudant eum omnes Stellæ luminis, Laudant eum Cæli Cælorum & aquæ, quæ sunt desuper cælis. Laudant nomen Domini, quia ipse præcepit & creata sunt.*

Ps. 148. 3, 4, 5.

XV. Quæstiones, quæ hic moveri solent, quarum altera Gentilium *salutem* spectat, altera eorum *opera*, de quibus saltem quæritur, fuerintne omnia sic vitiosa, ut etiam virtutes, quibus fullerunt, vitiis ac peccatis sint annumerandæ? Has, inquam intactas relinquemus, eo quod exstent scripta celeberrimorum Theologorum magno numero, non adeo ignota. Nunc saltem unicum adducemus & quidem Summum Dn. D. *J. Musæum*, p.m. Dn. Hospit. ac præcept. nostrum æternum colendum in eleganti *Steph. Curcellæo* opposita dissert. & script. Apolog. contra Reinhardum, Declarat Jenens. German. Loc. VIII. Nos itaq; labore isthoc supersedere posse, arbitramur.

quæst. 42.

XVI. Prius tamen, quam hinc abeamus operæ pretium nos facturos confidimus, si in gratiam eruditi Lectoris Catalogum, quem exhibet Excellentissimus Vir B. Dn. D. *Calixtus, Antiquitatis scrutator acutissimus* (uti eum vocat, ipsi alias plus satis iniqvus, *Joh. Micrælius*) Scriptorum adversus

De verit. Rel. §. XVI. in Syntagm Hist. Eccl. L. 3. Sect. 2.

adversus Gentiles, Veterum, hodieque superstitum huc apponam. *Faciunt huc, Justini philosophi, & martyris paraeneses ad Graecos duae, Apologiae duae, & liber de Monarchiâ; Athenagorae Apologia, Theophili Antiocheni ad Autolycum libri tres; Tatiani oratio contra Graecos; Clementis item Alexandrini ad eosdem λόγος προτρεπτικὸς; Tertulliani Apologeticus, & ad Nationes libri duo, qui caeteris ejus operibus nondum adjuncti sunt; Minucii Felicis dialogus elegantissimus, cui nomen fecit Octavio, Originis contra Celsum libri VIII; Cypriani tractatus vel libri duo, unus ad Demetrianum Africae proconsulem, & alter de Idolorum vanitate; Arnobii libri VII. contra Gentes; Lactantii divinarum Institutionum totidem; Eusebii εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς libri XV. insignes, & accuratiore interpretatione, quam quâ hactenus utimur, digni; Athanasii oratio contra Graecos; Julii Firmici Materni de errore profanarum religionum ad Constantium & Constantem Augustos liber. Huc etiam refero Invectivas duas, quas Gregorius Nazianzenus, & libros X, quos adversus Julianum τὸν ἀποστάτην Cyrillus Alexandrinus scripsit; item quae Symmacho, ut Romana sacra restituerentur, urgenti opposuerunt Ambrosius oratione prorsa, (est inter epistolas ejus numero XXXI.) & Prudentius versâ. Accedunt eximia duo opera Libr: videlicet XXII. de Civitate Dei ab Augustino, & XII θεραπευτικῆς ἑλληνικῶν παθημάτων, à Theodoreto, illo Latinorum, hoc Graecorum ejus aetatis facilè doctissimo, conscripti. Quos saltem, si superiora cuncta nequeunt, a studiosis legi oportet. Et haec ferè Veterum contra Gentiles pro veritate Religionis Christianae è* QVINQVE *primis seculis supersunt monumenta. Haec itaq; qui evolverit, absurditatem & novitatem revelationum ac Religionum Ethnicarum manifesto deprehendet; & contra, quanta puritas & sin-*

ceritas,

ceritas, quin & antiquitas Christianæ sit, intelliget. Recentiores scriptores qui desiderat, eorum maximam partem
§. 2. apud Dn. *Hornbeck* in summ. Contr. Relig. de Gentilismo inveniet: Quibus addi possunt illi, qui non tam Disputationem adornarunt contra Gentiles, quam de iis scripserunt, aut consilium exposuerunt vel modum cum iis agendi, de quibus idem in Tractatu de Convers. Indor. &
cap. 2. Gentil. libr. II. *Quales sunt Joh. Frider. Lumnius in libr. de Extrem. Dei judic. & Indor. vocatione &c.* aliique nominati superius. §. IX.

CAPVT IV.

Arguens absurditatem Religionis Judaicæ modernæ.

§. I.

VIso ita Gentilismo, jam proximè ad Judaismum pedem proferimus; Nomen autem habet à יְהוּדָה Jacobi patriarchæ filio, qui à ירה *projecit*, in Hiphil. הוֹדָה, *laudavit* nomen accepit. Quo eleganter alludit Jacob, dum
Gen. XXIX 35. Gen. XLIX 8. Psalm. 21. postremùm allocuturus filium ita infit: יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ. *Jehuda tu, laudabunt te fratres tui.* Antiquissima denominatio est, qua *Hebræi* dicuntur, ab *Hebero* appellati, sic enim Genes. X. 11 de Sem: *Hic pater omnium filiorum Heber.*
cap. VII. Vndè & *Josephus* Antiquit. Libr. I. τὰ δὲ ἑβερ, ἀφ' οὗ τοὺς Ἰουδαίους ἑβραίους ἀρχηθεν ἑναλεν. *Melius*, celeberrimo Batavo
De Judæis eorumque convers. prolegom. §. 2. Dn. *Jo. Hornbeckio*, judicante, *quam si cum aliis Hebræos à trajectione fluminis Euphratis, aut Tigris* עברים, *quasi Trajectores*

Hores dicas. Alias nominis derivationes præterimus, quas satis discussas vide apud *Buxtorfium* in Dissert. de Linguæ sanctæ conservatione, *Franciscum Gomarum* prolegom. in Epist. ad Ebræos, & *Hottingerum* in Thesauro philologico. *Judæorum* tamen postea nomen commune omnium Hebræorum fuit, propterea, quod Israelitico regno diviso tribus Judæ latissimè diffusa unà cum tribu Benjamin regnum peculiare constituit, & reliquis in captivitatem abductis Regni Sceptra gloriamque gentis per annos CXX. qualitercunque conservavit; tandem tamen pariter subjugata, post annos LXX ex captivitate Babylonica redux nomen reliquis fecit. Neque discrimen observatum est, nisi à Samaritanis, quando vel Judæis se accenserent, vel ab iisdem cuperent distingui. Vnde ab Alexandro Magno interrogati, quinam essent? ipsi cum Judæis paria sibi indulgeri privilegia petentes responderunt quidem, Hebræos se, & Sichemitas à Sidoniis nuncupari; sed rogati denuo, an ergo Judæi essent? expresse negarunt, quapropter negata iis quoque, vel dilata, quæ primò petierant beneficia. Et quamvis ex decem tribubus etiam reliquiæ nonnullæ in terram sanctam redierint, ac Judæis mistæ fuerint; à potiore tamen parte mansit denominatio. Ioseph. Antiq. L. XI.

II. Cæterum cum antiquissima & supra aliarum nationum tum ætatem, tum notitiã gens Judaica sit; (ab Ægyptiis enim Græcos sua didicisse, ab Hebræis autem sapientiam sũ ã Ægyptios habuisse, certũ est,) non abs re fore judicamº, si paucis recenseantur Gentis sanctæ fata, ut qua occasione Religionis corruptelæ irrepserint, patescat. Originem Populi non repetemus nunc altius, quàm à Semo Noachi filio, cujus posteri post diluvium orientem versus migrationes

instituisse leguntur. Cum verò eosdem Semi idololatriæ contagium afflasset, uti in præcedentibus audivimus, Deus Abrahamum eduxit ex Mesopotamia in terram Canaan, ubi posteri Chami, & quidem ex filio ejusdem natu minimo Canaan rerum potiebatur, ipsiq; dedit promissionē de multiplicatione seminis, de semine benedicto, in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ, nec non de territorio isto, in umbilico terræ tunc cognitæ propemodū sito, subjiciendo. Et licet ipse Abrahamus postremi promissi non particeps fieret, imò *ne tantillum quidem, quantillum planta pedis tegere potest*, de terra ista proprietatis possideret, sed in portatilibus habitans tabernaculis, suasque divitias in vernis & pecoribus positas habens inter Cananæos tanquam hospes oberraret: posteri tamen ipsius cum in Ægyptum migrassent, inde *extenso brachio & judiciis magnis redemti* Cananæos, Hethœos, Jebusæos, Amorræos & Perezitos, expulerunt, terramque istam vi promissionis subegerunt. Sic quoque factum postea, ut cum Jacobi, qui nepos erat Abrahami, posteritas πολύτεκνος esset, in duodecim tribus abirent. Tribus verò Levi â reliquis XII. regione & habitatione non erat distincta, nec numerum augebat, sed sub illis comprehendebatur.

Gen XVII. 4. 6. c. XXII 8. c. XV. 18. Actor. VII. 5. Ex. VI. 6.

III. Verum enim verò avulsis post Solamonis tempora, Roboamo ejus filio regnante, decem tribubus, quarum postmodum Rex factus Hieroboam; tribus Juda & Benjamin (quibus Levitæ relictis sedibus pristinis, sese jungebant) regnum peculiare constituerunt. Hæc regna inter se multoties collidebantur, donec sub Hosea Rege decem tribus â Tiglath Pilleser & Salmanassare; tandem etiam cum Zedekia Rege Judæi â Nebuchodonosore deportaren-

2. Reg. XVII. 2. Reg. XXV.

tarentur. Post annorum septuaginta decursum Judæi quidem, ut Rempublicam peculiarem iterum constituerent, non autem decem tribus, exceptis quibusdam reliquiis, dimissi, & deinceps quasi terræ patriæ fuerunt restituti. Sed nolumus in his narrandis prolixiores esse, quæ ex sacris abundè satis haberi possunt. Attamen, quid decem tribubus post asportationem Assyriacam evenerit, & ubi locorum manserint, vel adhuc fortè hæreant, curiosè inquisiverunt multi. Placet hic adscribere, quæ de iis sentiunt Viri celeberrimi Dn. *Joh. Hornbek.* & Dn. *Petr. Dan. Huetus.* Iste libro supra citato: *Vltra portas Caspias abductas, vel ad flumen Sanbatium: & ab Alexandro Macedone montibus inclusas, inter Judæorum figmenta reponi debet: qui inter se disputant, an tribus illæ ad Messiam suum reversuræ sint, annon? Partes hic facientibus R. Akibâ, qui negat, & sortem iis adimit in futuro seculo; atque R. Elieźere, astruente contrarium. Meâ sententiâ*, inquit, *abducti in Assyriam Israelitæ decem tribuum, hic, & in Babylone, (præsertim postquam Assyriorum imperium ad Babylonios translatum, quorum & rel. quæ duæ tribus, uti notum, per Nebucadnez. abactæ) habitarunt cunctarum tribuum Israelitæ: ut qui hinc post septuaginta exilii annos adscenderunt iterum Jerusalemum, potissimam partem quidem fuerint tribus Judæ, & Benjamiticæ, at illarum nec omnes, nec soli, sed & aliarum tribuum aliqui illis immixti, & sic sive reduces, sive Babylonis, aliarumque regionum incolæ duodecim tribuum plures fuerunt Israelitæ; ut ideo etiam Jacobus Apostolus inscribere epistolam potuerit, ταῖς δώδεκα Φυλαῖς, ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Præterquam quod probabile, δεκαφύλων multos ad Gentilismum defeciisse. An autem ex illis Colchi descendant, vel Tartari, aut Chinenses, quod nonnulli*

prolegom. §. 4.

Adde Joseph. XI. Antiq. c. ult.

nonnulli existimant, ego pro incerto habeo. Menasse ben Israel in libello, SPES ISRAELIS, operosè conatur adstruere, decem tribus in Indias Occidentales, in Tartariam, in Chinam, in Æthiopiam, Mediam, Sabbathionem fluvium atque Euphratem translatas variis casibus, dispersasque fuisse: conatu certè majore quam soliditate. Ego, exceptis illis, qui ad Ethnicismum prolapsi Judæi, parem ferè omnium rationem facio, sive in rejectione sive in conversione. Statum Religionis & Reip. Judaicæ qualis fuit à reversione ex exilio Babylonico, usque ad supremam urbis per Romanos devastationem descripsit peculiari libello Paulus Eberus, Witteberg Theolog. qui & translatus in Gallicum. Hic verò. Peritzol Judæos versus orientem solem locat, & montibus immensis circumclusos fingit. Postellus, popularis meus, vir magni, sed immoderati & effranis ingenii, intra has montium angustias diu latitasse decem tribus, ait, sed tandem prognatos ex iis Tartaros & Turcas inde erupisse, vastissimasque regiones armis occupasse: quod ex Haythoni Armeni Historia probare conatus, viris gravibus & eruditis persvasit. Magni etiam Judæorum exulum cœtus in India, magni ad Daphnen Antiochiæ suburbium statuuntur. Quidam & in America decem tribus requirunt. In quem errorem mirarer animum suum demisisse, eique defendendo studium suum & operam accommodasse doctissimum Manasse ben Israel, Amstelodami olim familiariter mihi notum; nisi judæum fuisse meminissem. Et paulò post: Redeamus ad decem tribus, quas Thalmud Hierosolymitanum omnes ineptias putidissimo figmento superans nubibus protectas, & à reliquis mortalibus hujusmodi sepimento separatas comminiscitur, proindeque & ab Æchmalotarchæ ipsius imperio discretas. Quomodo enim ultro citroque ad eum illinc commeare, vel ab eo illuc penetrare Legati

Demonstr. Evangel. propos. IX. c. IV. §. 14. Histor. orient. part. I. c. 5 6 c. 17 Histor orient.

potuissent, cum omnis aditus esset intercluſus? Nisi dicant fortasse ſolis Judæis hanc facultatem divinitus fuisse conceſſam, quod credet Judæus Apella, non ego. Scio memoriæ proditum esse a Josepho, tribus decem trans Euphratem deportatas in immensam multitudinem ſua ætate excrevisse, quod ab eo edoctus Oroſius retulit; verum nulla illic regna commemorant; imò barbarorum imperiis fuisse ſubjectas optimè á Sulpitio Severo obſervatum est. Nec moror autoritatem ſcriptoris libri quarti Eſdræ, qui decem tribus in longinquas terras abiisse ſomniat, ut ritus ſuos ſine impedimento poſſent obſervare; diſceſſiſſe illis aquas Euphratis, ut olim rubri maris & Jordanis; & poſt anni unius iter in Regionem Arſareth perveniſſe, quo nemo hactenus penetraverat; ibique ſumma pace frui, quoad ipſis reditum Deus paret. Quæ impuri Autoris & otio ſuo abundantis meræ figmenta ſunt. Hactenus ſupra laudatus Dn. *Huetius.* Videantur quoque B. Dn. *Joh. Conrad. Dieterici* Antiqv. Biblic. aliorumque ſcripta, plura enim ad rem præſentem facientia adducere haud equidem neceſſarium eſſe puto. E Babylone in Patriam reverſi Templo & urbe reſtauratis diu pace frui non potuerunt; ſed translato á Perſis ad Græcos ſummo Imperio *Alexandri M.* ſucceſſores Judæos ſæpius graviter affixerunt. Romani denique, ut multas alias gentes, ita & ipſos coegerunt ſub jugũ, quod tamen crebris ſeditionibus excutere fruſtra conati ſunt. Cum itaq; Reſpublica diſſolutioni eſſet proxima, comparuit Meſſias, *JESVS NAZARENVS* cujus *regnũ non erat de hoc mundo*, Liberator & redempopuli ſui á ſpirituali ſervitute. *In medio ejus ſtetit, & non agnoverunt eum: venit εἰς τὰ ἴδια in propria, & proprii ejus non receperunt eum:* Imò concilio coacto *dixerunt inter ſe, Iſte eſt hæres; Venite, occidamus eum & habebimus hæreditatem ejus,*

Antiquit. Lib. II. c. 5.

Lib. II. c. 7.

Hiſt. ſacr. Libr. II.

IV. Eſdræ 13. 41. ſeqq.

ad vaticin. Jacobi Geneſ. XLIX. 10.

Ioh. I. 26.

v. 16.

Matth. XXI. 38. 39.

ejus, & apprehensum eum ejecerunt extrà vineam, & occiderunt. Quapropter Talionis quasi jure Deus ipsos etiam Iudæos solo patrio excussit, & velut inanes paleas per omnes gentes, sparsit. Hodieque, ut de adventu Messiæ velut apices vivi doceant, *dispersi ac palabundi vagantur soli, Et cæli sui profugi, per hospitia aliena vagantur,* inquit de iis *Cyprianus.* Forsan rectius legitur: *soli & cæli sui profugi.* Nam *Tertullianus* hoc modo: *dispersi, palabundi, & cæli & soli sui* in Apolog *extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur*; cujus verba imitari videtur *Cyprianus.* Quanti enim fecerit Tertullianum, testatur *Hieronymus. Vidi ego,* in Catalogo Scriptor. de Tertullian inquit, *quendam Paulum, Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se B. Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse, ac sibi crebro dicere: DA MAGISTRVM, Tertullianum videlicet significans.* Sed, hæc obiter. Historiam populi Judaici vel totam, vel post *Josephum* ab ultima illorum dispersione, tum ipsi condere ausi sunt *Rabbi Abraham Zachut* in Juchasin, *Rabbi Gedalia* in Schalscheleth Hakkabala, Author libri *Schebbeth Jehuda.* R. *Gans* in Zemach David: tum Christiani, sive ex monumentis Christianorum, uti *Centuriatores Magdeburgenses*, ad singulas Historiæ Ecclesiasticæ *Centurias*, sive ex scriptis Judæorum, quod magno labore præstitit V. Cl. *Joh. Henric.* in Histor. Eccles. N. Testam. *Hottingerus.*

IV. In Palæstina etiam post urbis & reip. excidium diu[illegible]lè Judæorum reliquiæ hæserunt, celebresq; habuerunt scholas sive Academias, *Jasnæ, Zephoreæ, Cesareæ, Tiberiadi,*

usque

usque ad annum post Christum trigesimum supra ducentesimum, atque ibi ab illis compositum Thalmud, quod Hierosolymitanum appellant. Qui verò in Babyloniam concesserunt Judæi & Academias constituerunt *Nehardeæ*, *Soræ*, ac *Pumbedithæ* digniores aliis habiti doctioresque, & hi Autores Thalmudis Babylonici: de quibus mox plura. Pergo interim referre, quod ex Asia in Europæas Provincias Hispaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Germaniamq; nostram penetrarint. Sed licet admissi, hinc inde tamen graviter iterum sunt repulsi miseri, sæpe ob impactum crimen proditionis & infectorum ab illis puteorum. Hodiè magno numero sunt in Germania, Belgio, Polonia, Lituania, Bohemia. Pragæ ultra quindecim millia Judæorum suo tempore fuisse scribit *Possevinus*. In Asia multi, atque etiam in Africa. Sublata inter ipsos est omnis Genealogiarum certitudo, & Tribus ita permistæ, ut ne levi quidem suspicione origines familiarum internosci queant, ne dum scriptis comprobari. Et quamvis reperiantur inter eos qui de stemmate David se oriundos gloriantur, fidem tamen nec Judæis cœteris nec nobis facere valent. Plerique, constantes in levitate sua, Levitæ censeri volunt, sacerdotalis generis dignitatem sibi vanè tribuentes.

V. Mentio jam facta est Operis Thalmud, & cum plurima tam lectu jucunda quam scitu necessaria de eo nobis reliquerit B. Dn. D. *Calixtus*, ejus verba hic integra subjicio. *Vtinam scripturis, quam parerat, operam semper dedisset synagoga, nec eis traditiones Majorum, quas* תורה שבעל פה Legem, quæ per Os, *vocant, æquasset, imò prætulisset. Quum enim illæ nullo scripto comprehensæ tantum per orâ Doctorum volitarent, & periculum esset, ne interirent, & oblivione delerentur, primus Rabbi Jehuda, qui Antonini Pii Imperatoris* Apparat. Theol. p. m. 118.

toris gratia florebat; & apud suos sancti atque principis titulum obtinuit, de iis conservandis, & memoriæ tradendis serio cogitavit. Quæitaque Veterum Rabbinorum placita & constitutiones quisque Iudæorum in suos sibi usus & memoriæ ergo consignaverat, coegit in unum, atque ex iis librum Mischnajoth sive δευτερώσεων, & traditionum in VI. tractatus digestum, confecit. Accessit deinde Gemara; quæ Rabbinorum super textu Mischnajoth disputationes & decisiones complectitur. Atque ita Mischna, quæ textus est, & Gemara, quæ Mischnæ, ut commentarius additur, junctim Thalmud constituunt. Obiter autem monemus, duplex Thalmud esse. Babylonicum enim è commentationibus Rabbinorum Babylone docentium conflatum, hodiè apud Judæos, ubicunque terrarum degant, irrefragabilem autoritatem juris civilis & canonici obtinet. Alterum verò Jerosolymitanum, quod in Palæstina â R. Jochanam ê tribu Joseph oriundo, tertio post Christum seculo conditum est, Babylonico cum rerum varietate, tum autoritate inferius censetur, quin ab hoc quasi oppressum fuit; sicut successu temporum scholæ, quæ in Palæstina & præsertim Tiberiade celebres fuerant, exstinctæ sunt, & fama eruditionis atque studiorum in Babyloniam transiit, illustrem Nahardea, Sora & Pumbedithâ ad Euphratem oppidis, Judæorum Academiis. Et Thalmud quidem, quod diximus secundo seculo cœptum conscribi, ab his Babyloniis Rabbinis anno demum, æræ Christianæ quingentesimo perfectum & absolutum fuit. Ex quo usque ad millesimum & plures annos studium scripturarum apud Judæos prorsus elanguit, opera omni in enarrationem Thalmudis impensâ. Sex autem illorum tractatuum in quos digestum est Thalmud, primus agit de Semînibus, frugibus, fructibus, eorumque usu; secundus de festis & solennitatibus. Tertius de uxoribus ducendis & repudiandis,

carum-

earumque officiis, affectibus, morbis; quartus de damnis, & horum pœnis ac compensationibus; quinctus de rebus sacris ac sacrificiis; sextus de munditie vasorum, & supellectilium, & pollutorum mundatione. Quæ omnia memoriæ hic versiculus poterit suggerere:

Semina; festa; uxor; nocumentum; victima; munda. Abbrev. Rabb. p. 217. Synag. Jud. c. III.

Hæc ita B. *Calixtus*, quæ prolixius apud *Buxtorfium*, aliosque notisfimos scriptores legi poterunt.

VI. Proximo post Thalmud loco sunt arcana Cabbalistica, sive traditiones de variis modis exponendi scripturas. Mystica etiam & perplexa doctrina de Deo, ejus natura & attributis, de rerum omnium fonte variisque emanationibus, de Angelis & spiritibus, de superiorum cum inferioribus communicatione, aliisque hujus generis quæstionibus, quas ænigmatibus involvunt magis, quam explicant. Duas ejus partes faciunt עיונית Theoreticam, & מעשית practicam.

VII. Autoritatem Talmud si spectes, Judæorum pars maxima, non satis habet juxta scripturam sacram illud collocasse, nisi præferat quoq;, tanto nimirum in pretio apud ipsos est, ut Autor libri *Ephod* non erubescat scribere, quod etiam in Bibliis studere nihil sit aliud, quam tempus terere: Et sapientum Thalmudicorum sententia est: *Semper in tres partes distribuat homo annos suos; tertiam partem lectioni Biblicæ impendat, tertiam Mischnæ, Thalmudi reliquum.* R. *Samuel* introductione ad Gemaram, *Aben Ezra* in præfatione Commentar. sui in Pentateuchum, aliique passim vocant legem oralem, עיקר *fundamentum principale.* Similiter de lege orali & men ali loquitur *Manasse ben Israel*, in præfatione libri *Thesouro dos Dinim*, qui est quasi epitome Mischnæ. Thalmud vino; at Scripturam aquæ comparant; Tr. de Idol. c. 1.

& quantum discrimen inter aquam & vinum, tantum inter Thalmud & Scripturam collocant. Talmudi autem Babylonico *ita rigidè assentiuntur, ut de alio nec addere quicquam liceat, nec detrahere.* Plura in hanc rem â Judæis adducta Testimonia vide apud *Buxtorfium* synag. Judaic. c. III. & *Joh. Hornbeck.* libr. I. de convertendis & convincendis Judæis. c. III.

Schalf. Hakk. p. 35. a.

VIII. Thalmudico igitur Codici infallibilitatem plenam tribuentium fidem non tam Mose, quàm Rabbinorum expositionibus fundatam esse constat, ita, ut juxta earum normam & mensuram intelligendus sit Moses. Unde nemini mirum videri debet, quam ob causam Judæi in tam horribilem cœcitatem & infidelitatem inciderint: quia scilicet â via veritatis verbi divini deflexerunt, atq; lubricis patrum suorum vestigiis petulantissimè sunt ingressi. Quandoquidem Thalmud ipsis indubitatum est fundamentum, & certissima norma, ad quam omnia metiri, & disponere convenit; necessario Rabbinorum doctrinam in verbi divini expositione, ab hujus regulæ judicio pendere: Et ut Thalmud ipsorum quidem sententiâ est intemeratæ Veritatis & fallere nesciæ, ita quicquid ad hanc amussim scribunt, & docent Rabbini, verissimum consequenter esse oportet. Hanc autem consequentiam Rabbinis vehementer placuisse, ut quæ ad summam suam gloriam faciat, ex illorum sermonibus satis superque apparet. Sic enim *Rabbi Isaac Avuhaf*, qui sub fin. seculi XV. apud Lusitanos obiit, in suo libro, cui titulum fecit: מנורות המאור *Candelabrum lucis*, scribit: *Iis omnibus quæ Rabbini nostri in Homiliis suis docuerunt, eadem â nobis, atque legi Mosaicæ, fides tribuenda est: Et, si quid aliquando illis insit, quod sit vel hyperbolicum, vel*

præter

præter naturam: vel ingenii nostri captum excedere videatur; non illorum verbis, sed ingeniorum nostrorum tarditati & infelicitati culpa est assignanda.

IX. Iniquè ageremus cum gente Judaica, si omnes in sectandis traditionibus æquè furere diceremus. Scinduntur sanè hodiè in tres sectas. *Prima.* paucissimos in Asia assecias habens Samaritanorum est, qui solum Pentateuchum propriis sibi characteribus scriptum pro genuino verbo DEI habent. *Secundo* loco censemus *Karæos* קראים qui totum Canonem Scripturæ sacræ lege Prophetis Hagiographis constantem venerantur, Thalmud verò prorsus repudiant. De illis retulit *Antonius Legerus* sequentia: *Si Karaitarum fidem sequi juvat pertendunt, Israelitas omnes ab initio fuisse* קראים, *sed â Majorum, imò Dei institutis defeciśe degeneres Rabbanitas, supereśe tamen Karaitarum 2000 in Polonia, Constantinopoli 70, Theodośiæ in Taurica Cherśoneśo 1200, Memphi 300. Damaści 200, Jerośolymæ 30, Ithi prope Babyloniam 100. Zeginis, vel Gurgiśtan in Perśide 500. vel 600. Addunt śe śolos* θεοπνεύστους *libros miśśis Thalmudicis nugis & Rabbinicis traditionibus habere pro fidei normâ, ad quam omnia alia ścripta exigenda śint. Legis expośitionem ex ipśis Legis verbis petendam eśśe. Karaitæ Conśtantinopolitani jactant, śe reliquias eśśe Veterum, qui ibi habitabant tempore Conśtantini Magni. S. Scripturam ibi Græca lingua śibi vernacula privatim & publice lectitant, & ejus notitiâ liberos śuos imbuunt. Theodośiæ Turcica, alibi Arabica & Perśica utuntur lingua, una cum Hebraica. Punctа vocalia Hebraicorum Bibliorum â Mośe & Prophetis eśśe śtatuunt. Karaitæ feśtorum translatione â cæteris Judæis inventa & uśurpata non utuntur, ideò A. D. 1633. Karaitæ Conśtantinopoli Paścha śuum comederunt veśpera diei Jo-*

Höttinger. Thes. Phil p. 42.

vis, ut Christus suum ultimum ante obitum Pascha celebravit. קראים *negant, se esse Sadducæos, Angelos esse credunt, sed bonos omnes esse naturâ; malos dicieos, qui ad ministerium homini molestum mittuntur.* Rariora comparent inter nos Karæorum aut de ipsorum placitis scripta. *Buxtorfius* nominat אורת אליהו *Pallium Eliæ* de ritibus Karræorum R. *Eliæ Balschiaco*: Et *Hottingerus* מורה אהרון R. *Aharonis Karaitæ* contra Thalmudistas opus. Posterioris etiam in nuper edita *Historia Critica V. T.* mentionem fecit *Simonius*, ubi de Karaitis prolixè agit. Præter has duas Sectas sunt רבנים Rabbinorum traditionibus & Thalmudico codici adhærentes, quorũ sententiam de opere isto §. præced. proposuimus.

Bibl. Rabb. p. 309. Smegma Or. p. 24.

X. De Cabbala, quam Samaritani & Karæi ejusdem cum Thalmud farinæ esse censent, Rabbinorum quidam grandia sonant. *R. David* in Psalmum 119. eam *verbis legis æquiparari* scribit. Non tamen ei adstipulantur socii omnes, dum enim vident prudentiores, quidlibet ex quolibet ænigmatibus istis deduci posse, qui ambiguitate sua utriq; parti serviunt; & prout quisq; ingenio valet, ita ipsum aranearum istis telis ludere; parum tribuunt Cabbalisticis speculationibus, & inde solida argumenta peti non posse ultrò fatentur. Ipse sapiens *R. Esra* ad Es. VII. 6. Cabbalisticæ cujusdam interpretationis mentionem faciens, quod res est loquitur, dum ait, זה הבל *Vanitas est.* Inciderunt nonnulla hujus generis scripta in manus nostratium, qui obscuris quibusdam formulis observatis de Antiquo faciei rum, de Juniore, de Spiritu Dei, de primo Adam, Religionis Christianæ mysteria subindicari putarunt. Sed contra Judæum arcanorum istorum Cabbalisticorum peritum pugnaturus lubrica hæc arma & hebetiora esse, quam viden-

videntur, mox experietur. Certè paucissimorum lacerti hæc tela in Judæos rectè intorquere valent: Si quid ineſt ipſis roboris, brevi id omne detectum iri ſperamus. Præſtiterunt aliquid in explicatione Cabbaliſticorum arcanorum *Joh. Picus Mirandulæ Comes*, *Joh. Capnio* ſive *Reuchlinus*, *Archangelus de Burgo Novo*, & *B. Hakſpanius*. Profundius verò iſta ſcrutari operæ pretium duxerunt Viri nuper in talibus exercitatiſſimi: exſtant etiam ſpecimina egregia in *Lexico Cabbaliſtico*, aliisque opuſculis in *Cabbala denudata*, *Sulzbaci in Palatinatu* abhinc annis quatuor editis. Facem etiam aliquā præferunt Cabbalam examinaturis, quæ A. 1679. Nobiliſſ. Dn J. C. *Steeb*, *in Sephiroth*: circa Theoreticam ejus partem detexit. Practicam verò, quæ tandem in Magiam degenerat, Judæorum prudentiores omnes merito abominantur. Majm. de Idol. c. XIV.

XI. Dum igitur antiquam & veram Religionem Judaicam ab hodierna falſa diſcernimus, atque hanc duabus potiſſimum de cauſis rejicimus, quarum *Prima* eſt, quod Thalmudici codicis traditionibus Religionis puritatem & veritatem metiantur: *Altera*, quod Jeſum Nazarenum Dominum noſtrum promiſſum Meſſiam eſſe non agnoſcant: Ipſi monemus, de Poſteriori cum Judæis omnibus nobis litem intercedere; de priori verò cum illis tantum, qui *Rabbanim* dicuntur, Phariſæorum diſcipulis & poſteris eodem *fermento* infectis, quo tumeſcebant Majores *venam aquæ vivæ derelinquentes, & effodientes ſibi ciſternas, ciſternas confractas, quæ non continent aquam.* Marc. VIII. 15. Ierem. III. 13.

XII. Ne verò abſque ſufficiente cauſa Thalmud damnare videamur, producemus in medium rationes quaſdam, oſtendentes Miſchnam & Gemaram Traditionibus ſuis propriis nihil minus, quam divinam legem continere, nec divinæ, aut

næ, aut paris cum S. Scriptura, nedum majoris esse autoritatis. *Primùm* quidem nullo solido argumento probari potest â gente superstitiosa ullam Legem oralem, præter scriptam, Mosi â Deo in monte traditam esse: *Venit enim Moses & enarravit populo OMNIA verba Domini, & OMNIA judicia; atque respondit populus totus voce una, dixeruntq;, omnia hæc verba quæ edixit Dominus, faciemus. Et scripsit Moses OMNIA verba Domini.* Proinde supervacanea sunt illa, quæ de Thalmude, vel in ejus commendationem, honorem, atque autoritatem fingunt Judæi: non enim sufficit dicere divinum seu â Deo esse; Mosi traditam Kabbalam in monte; poterunt idem dicere, & dicunt quoq; Muhammedani, ut infra patebit magis, ad Muhummedem noctu delatum cœlitus Alkoranum per Gabrielem. Nec *Secundo* perpetuò conservatam ullam præter Scripturam, Legem Dei evincent. Frustraneus est conatus *Maimonidis* in Præfatione יד חזקה quo nunquam interruptam custodum traditionis seriem texere laborat. Cum sub Manasse & Ammon regibus Scriptura ipsa ita amissa esset, ut Josias rex ad Codicẽ sacrum inter neglecta ab Hilkia Sacerdote repertum tanquam ad rem novã, & inaudita verba obstupesceret, eundemq; Sacerdotibus Senioribus & populo prælegi curaret, quis crediderit, Oralem quandam Legem salvam, puram, & solam viridi semper memoriâ conservatam fuisse. Quid quod *Tertio* nequicquã ad modum legis est conscriptum Thalmud, sed discrepantes Magistrorum opiniones, & perpetuas inter domum, seu Academiam *Hillelis* & *Schamai* contentiones exhibet, aliasq; non in Gemara solum, sed in ipsa quoque Mischnâ. Itane verò legis divinæ est aliorum sententias colligere, & discutere, nihil tamen definire? Fatemur quidem, aliqua minus mala occur-

Ex. XXIV. 3. 4.

2. Reg. XXII. c. XXIII.

occurrere; sed & talia in Alkorano etiam aliquando reperiuntur. Neque sufficit, ut aliquid boni contineat liber, qui pro divino, nedum authentico haberi debet. *Quartò* aliter utique Moses, & Prophetæ ad scribendum accesserunt, peculiari vocatione ac Spiritu instructi. Thalmud autem conscriptum â suis Autoribus motu proprio & privato, ipsis Judæis non diffitentibus, quî ergo authenticum esse potest? Accedit *Quintò*, quod continet improba, stolida & fabulosa, prorsus juxta illud *Juvenalis: Qualiacunque voles Judæi somnia vendunt.* Ostendunt hæc multi de Thalmude integris libris & capitibus, ad quæ B. Lectorem remittimus: Nec aliquis rerum Judaicarum facilè ita imperitus est, hæc qui ignoret, tam obvia sunt & copiosa. Conf. *Victor â Carbe*, Judæus conversus, contra Judæorum errores. *Galatinus* de arcanis cathol. veritat. *Sixtus Senensis* Bibliothecæ libr. II. & *Theodor. Hackspan* celeberrimus Altorfinæ Academiæ Theologus ad *R. Lipmannum.* Quid absurdum magis, dictuve impium, quàm Deum orare, flere, studere tribus prioribus diei horis in lege, reliquis in Thalmud. Deum eâ horâ, qua Moses adscendebat in montem, occupatum fuisse in legenda sectione de vacca rufa. Deum ad contentionem Lunæ cum Sole dixisse: *Offerte sacrificium expiatorium pro me, eò, quod Lunam minorem feci.* Item: Deum excommunicationem metuere; â R. Ismaele verò benedictionem accepisse. Hæc ê multis pauca, nec prolixa eorum verba addimus, quòd sine tædio vix legantur. Tali libro credat, cui nugæ placent, qui decipi vult: minimè verò qui desiderio cœlestis veritatis capitur, qui animæ suæ salutem quærit.

Ex. XXXIV. 27

Deut. XXXI. 9 19. 22. 24.

Satyr. VI.

Libr. I. c. 9. 10.

cap. 1. pag. 260. seqq.

XIII. Quã belle historias sacras exponant, textusq; sacri fictos defectus suppleant, qui nosse cupit Librum עין יעקב evolvat.

evolvat, in quo ceremoniæ, hiſtoriæ, dictorumque expoſitiones ſingulares ex univerſa Gemara collectæ exhibentur. Liceat nobis unum alterumve exemplum præſentibus interſerere: Deut. III. v. 11. legimus: *Ecce lectus Og, lectus ferreus: novem cubitorum longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus, ad cubitum hominis.* Rabbini verò noſtri non lectũ adulti, ſed *cunas* infantis fuiſſe perhibent. Nempe tantus evaſit Gigas Rex OG ut cum audiſſet, ſuis finibus populum Iſrael appropinquaſſe, & in deſerto caſtra metatum eſſe, exploraret quantũ ſpacii caſtra occuparent: & cum relatum eſſet ei, occupare ſpatium trium Leucarum, evelleret æqualis magnitudinis montem, & capiti ſuo impoſitum ferret, ut in populum & caſtra projiceret, & unico illo jactu atque ictu univerſos obrueret. Deus autem re cognitâ immenſam formicarum multitudinem medio monti immiſit, â quibus totus perforatus eſt, ut in collum hominis corruerit, & ille exerto capite eo ſeſe invitus induerit. Qvum autẽ eum amoliri vellet, fecit Deus ejus dentes ad cubitos X. prominere, ut rejicere non poſſet. Moſes itaque, qui decem cubitos longus erat, ſecurim longam decẽ cubitos arripuit, & per alios decem cubitos exſiliens vulneri locum quæſivit; ſed vix attigit tibiæ cum pede juncturam. Impactâ ibi ſecuri proſtratus Gigas, monte, quem collo circumpoſitum geſtavit, ſepultus jacuit. Compertum poſtea eſt, tibiam ejus tam longam fuiſſe, ut cum cervus fortè fugâ ſe in cavitatem ejus recepiſſet, venatori dimidia die fuerit inſequendus, antequam inſecutori præda fieret. Adjiciemus autẽ aliud ejuſdẽ notæ. Imperator aliquis â Rabbino *Oſua* quæſivit, quanta eſſet Dei fortitudo? adſimilari enim ipſum in ſcripturis Leoni, cui trucidando miles ſufficiat, Reſpondit R. *Oſua*: Comparatur

paratur quidem Deus leoni, sed ei, qui in sylva Ulai commoratur. Imperator regerit, sese videndi ejus cupidum esse: Orat Deum Rabbi, ut Leonem adesse jubeat. Incepit is accedere, & qvum intervallo trecentarum leucarum abesset, rugitum edidit, per quem factum, ut prægnantes omnes Romæ abortirent, & mœnia urbis collaberentur. Rursus per centum leucas progressus denuò rugiit, & emoti sunt omnibus Romanis dentes, Imperator ipse ê solio in solum. Monuit Rabbi, leonem centum adhuc leucis abesse. Sed imperator, ora, ait, Deum, ut in locum suum revertatur. Idem Rabbi *Osua* morti vicinus Angelum percussorem oravit, vellet sibi prius suum in paradyso ostendere locum, quam cogeretur mori. Obseqvutus est Angelus, Rabbinum ad maceriam usque, quæ paradysum cingit, duxit, & elevatum introspicere jussit, sed ille pernice saltu maceriam superavit, & vivus in paradisum venit. Jubet angelus egredi: sed ille jurat, se nolle egredi. Re ad Deum delata, decernit, si nunquam alias violaverit juramentum, ne hoc quidem nunc violandum esse. Quæ exempla speciminis loco esse possunt. Equidem non ignoro, *R. Lipman* in Nizachon, n. 112. 116. Pontificiis etiam *Hyperbolem immodicam* de Christophoro magno objicere, atque monere, varios esse talia explicandi modos. Imò Symbolicam interpretationem, & mysticum sensum fortè in nonnullis sectati sunt veteres: sed nihil nugarum in istis esse, vel omnium satis probam & genuinam expositionem perfectè dari posse, nec ad literam illa dicta, intellectaque ab iis fuisse, haud aliquis probaverit. Contrarium ostendit qui accuratè talia discussit, B. *Hakspan* ad

Cap II. p 352 sequent. *R. Lipmann*, probatque, non posse parabolice Thalmudica ista omnia explicari aut solvi.

XIV. Negare insuper non possunt Verpæ, *Sextò*, quod infinitis contradictionibus se mutuò conficiant Thalmudici Doctores; *hinc enim fit, ut sæpius & passim in Thalmude iteretur*, observante hebraicè peritissimo Dno. *Buxtorfio*, *quando duo Rabbini in contrarias sententias diversi abeunt, neminem obloqui debere, utrumque enim doctrinam suam accepisse per traditionem oralem Mosis à monte Sinai; ac licet alius intelligentia & ratione ea comprehendere non valeat; non tamen sugillanda esse. Singuli namque probè noverunt & intellexerunt, cur ita sint loqvuti; nam amborum verba* (etsi contradictoria) *verba sunt Dei viventis.* Syn. Jud. c. III. Ita fascinavit miseros Doctorum, imò seductorum suorum authoritas, ut ipse *R. Salomo Jarchi* verbis cap. XVII. 11. Deuteron. *Et facies juxta legem, quam docebunt te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*, hæc adspergere non dubitaverit: *Non recedes à verbis illorum, etiamsi dicerent tibi de dextra, hanc esse sinistram; & de sinistra hanc esse dextram, multò minus quando dextram, dextram, & sinistram, sinistram appellabunt.* Eò res rediit: cœcam fidem & obedientiam ad Legem oralem, & ad doctrinam Rabbinicam, ad hanc amussim exploratam, afferre oportet. Hoc qui fecerit, pius habebitur Judæus & sincerus; secus vero qui faxit, illum dira apud inferos manent supplicia, ut juris Thalmudici sanctione fertur, Tractatu de Repudiis, his verbis: *Mar dixit, quisquis sapientum verba subsannat, in* Zoah, *stercus fervens, apud inferos projicietur.* Gittin c. 5. Ecquid verò, ut ad priora revertar, potest esse absurdius, quam contradictionis principium insuper habere? quid, quæso,

quæso, certi ex Thalmude discent de rebus præsertim maximi momenti, si, quod adstruunt hi, destruant rursus alii. Animadvertit hoc tandem, qui primus inter ipsos nugari desiit, vel mitius & per intervalla delirare cœpit, *Moses Maimonides Ægyptius*, scripsit proinde ad R. Josephum discipulum suum: *Cave ne tempus tuum teras in expositione & operosa consideratione Gemaræ: Ego enim in illis multum temporis perdidi, & parum utilitatis hausi.* Arrigant aures reliqui, & ex hoc sapere discant!

XV. Transibimus nunc ad alteram præcipuamque inter nos & Judæos omnes controversiam de Messiæ adventu. Messiam Judæis promissum esse omnes consentiunt, ideò in quotidianis precibus à DEO petunt, *ut citò & in diebus suis veniat:* sed quis ille & quando venturus sit, dubium valdè est apud illos & controversum. Vulgò omnes credunt, *hominem plebejum fore, qui tamen cæteros homines multiplici superaret virtute; Vxorem eum ducturum, liberos procreaturum, qui illi in regno succedant.* J. Buxtorf. Syn. Jud. c. L.

Cum autem duplici modo Christi mentionem facit S. Scriptura, interdum tanquam de paupere vili & abjecto; interdū tanquā de magnifico ac splendido verba faciens: Hinc quoq; geminum sibi fingunt Messiam; pauperem unum, fortem tamen & rei bellicæ peritissimum, quem *filium Joseph* appellant, eundemque à Gog & Magog interfectum iri dicunt, à quo vix quicquam utilitatis sibi promittunt: Alterum verò Messiam *filium David* vocant solium avitum in Patria occupaturum. Hic omnes, uti somniant, in Palæstinam coget; ita ut mortui etiam ibidem resurrecturi occulta per cavernas meatusque subterraneos volutatione isthuc deferantur. Ingredientur postea Paradisum, epulabuntur, potabunt, saltabunt. Comedetur vastissi-

mus taurus, horrendæ & magnitudinis & roboris, cujus
Iob.IV. 10. in libro *Job* fit mentio, & בהמות appellatur, quique quotidie montes mille depaſcitur; quod vero interdiu depaſcitur, noctu in pridianam magnitudinem iterum excreſcit. Huic porro convivio inferetur magnus ille cetus *Leviatan.* Jungetur ingens volucris *Ziz* quæ tam grandis ipſis creditur, *ut cum alas expandit, Spharam ſolis obtegat, & Eclipſin univerſo orbi inducat.* Bibetur poſtea quoq; vinum jam inde à condito mundo in paradiſo aſſervatum, & quæ ſunt nugæ aliæ.

XVI. Seligenda ſunt certa ab incertis, conceſſa à controverſis. De eo convenit inter nos, & ipſos, in Moſis & Prophetarum vaticiniis ſupra multos, qui Hebræis divinitus contigerunt magnorũ bonorũ autores, unũ cœteris multo excellentiorẽ promitti, quem nomine communi quidem, ſed huic uni optimè competente, Meſſiam vocant. Eum nos pridem veniſſe aſſerimus: Illi venturum exſpectant. Judicium itaque de ea lite quæramus in iis libris, quorum autoritatem pariter agnoſcimus. Quatuor autem dicta claſſica,
c. I. 16. quibus quaſi *rotis quatuor* viſionis Ezechielis gloria Meſſiæ vehitur, conſideranda proponimus. *Primum* ex Pen-
Gen. XLIX. tateucho depromptum, eſt illuſtre vaticinium, filiis valedicturi Jacobi Patriarachæ: *Non recedet*, inquit, *ſceptrum*
verſ. 10. *de Juda, neque legislator è medio pedum ejus, usque quo veniat Siloh, & ei erit obedientia populorum.* Prædicit hîc Spiritu Prophetico, prius venturum Meſſiam, quam penitus auferatur ſceptrum, atque adeò usque ad Meſſiam Judæis ſuperſtitem fore ſuam Rempublicam. Jam verò Reſpublica hæc Judaica ante mille & ſexcentos annos funditus

ditus est eversa, cum per Titum Imperatorem Romanum, exusto templo, & urbe devastata, populus totus dissiparetur. Tempus igitur adventus Messiæ Patriarchæ oraculo designatum ante annos mille & sexcentos præteriisse concludimus.

XVII. *Secundum* argumentum Propheta Haggai suppeditat. *Sic dixit Dominus exercituum: Adhuc unum pusillum est, & ego commovebo cœlum & terram, ac mare & aridam, commoveboq; omnes gentes, & veniet DESIDERIVM omnium gentium, ac replebo domum istam gloria dixit Dominus exercituum. — Major erit gloria domus hujus posterioris, quàm prioris, dixit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem.* Sapientes in populo Judaico veteres, eorumq; celeberrimos, qualis fuit *R. Akiba* qui *authenticus & Canonicus* dicebatur, de Mesiæ adventu Prophetam loqui censuisse, non diffitetur *R. Salom. Jarchi*, expresè enim scribit: *R. Akiba de diebus Messiæ & Rege Messia explicat:* quem tamen ipse temerè deserit. Quicquid fingant & conquirant Judæi non sufficit ad amplificandum gloriam domus secundæ ultrà gloriam primæ. Conqueruntur in Thalmud, illam hâc inferiorem per absentiam quinque rerum, *Vrim & Tummim, Spiritu Sancti, ignis cœlestis, Præsentiæ gratiosæ & Arcæ fœderis.* Supereſt ergo adventus Mesiæ, quo solo templum secundũ, primo gloriosius reddi debuit. At templum secundum annis abhinc mille & sexcentis in cineres redactum est: jam diu igitur præterlapsum est illud etiam tempus stantis templi posteriois, intrà quod Messias exspectandus erat. Cœperunt quidem miseri sub Juliano Imperatore sese colligere, templumque restaurare, sed de successu

c. II. 7. 8. 10

Lib. Cosri. 30.

Massech. Joma. c. 1.

Socra-

lib. III. Hist. Eccl. c. 20.

Socratem audiamus: *Imperator*, Julianus Apostata, *Christianos etiam alia quadam ratione adfligere satagens, superstitionem suam manifestat. Quum enim sacrificiis delectaretur, non solum ipse sangvine gaudebat, sed etiam detrimentum suum esse putabat, nisi idem facerent & alii. Quoniam verò paucos tales reperit, Judæos accersit, & percontatur, quanam ratione sacrificiis abstineant, cum lex Mosis sacrificare jubeat. Illis respondentibus, non posse se id alio facere loco, quam Hierosolymis tantum, confestim templum illud Salomonis restaurari jubet, & ipse interim adversus Persas movet: Judæi autem, qui jam olim oportunitatem dari optaverant, qua templum ipsis ad sacrificandum restauraretur, seduli redduntur ad perficiendum hoc opus, ac contra Christianos formidabiles sese ostendunt, fiuntque adversum eos insolentes, ac tanta se illis mala illaturos minantur, quanta ipsi olim à Romanis essent perpessi. Itaque quoniam Imperator ipse de publico sumptus operis hujus præstari jusserat, parantur omnia, ligna, lapides, lateres cocti, argilla, calx, & quæcunque alia ad ædificandum necessaria. Tum temporis Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, memor vaticinii Danielis Prophetæ, quod & Christus in sanctis Evangeliis confirmavit, ac multis futurum prædixit, ut in eo templo lapis super lapidem non maneret, hoc inquit, Servatoris oraculum adimplebitur. Quum hoc dixisset Episcopus, noctu terræ motus magnus factus lapides fundamentales veteris templi structuræ evulsit, ac cunctos una cum contiguis ædificiis dispersit. Timor autem ex hoc facto Judæos invasit, & etiam eos, qui procul agebant, rumor ad visendum hunc locum impulit. Quum igitur admodum multi adessent, aliud portentum accidit. Ignis enim cœlitus delapsus, cuncta artificum instrumenta consumsit. Licebat videre malleos, instrumenta, quibus poliuntur lapides, serras, secures,*

secures, ascias, & in summa, quæcunque ad struendum necessaria habuerant operarii, à flamma consumi. Depascebatur ista ignis toto die. Judæi verò maximo timore correpti, etiam inviti Christum Deum esse fatebantur, voluntatem tamen illius non faciebant, sed in opinione Judaismi obfirmati perdurabant. Neque enim eos vel tertium miraculum postremò factum ad fidem veritatis perduxit. Sequenti quippe nocte signa crucis instar radii solaris splendentia vestibus illorum impressa comparuerunt, quæ orto die videre, abluere, & abstergere volebant, nec tamen ullo pacto poterant. Excæcati igitur sunt secundum Apostolum, & bonum, quod in manibus habebant, projecerunt. Ad hunc itaque modum templum illud temporis pro eo, quod restaurari debuerat, prorsus est subversum. Dignus fuit, qui hic prolixius loqueretur, Socrates.

XVIII. Haggæo subjungimus *tertio* loco *Malachiam*, cujus verba sunt: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Fœderis quem vos optatis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Dixerat Antecessor: *Pusillum est:* Malachias; *Statim veniet*, ubi scilicet venerit præcursor, superaddit. Iste; *Veniet*, ait: Hic exclamat, *Ecce venit.* Promittit prior *Desiderium gentium*: Posterior *Dominatorem quem quærebant, Angelum Fœderis quem optabant.* Nec *templum* à Malachiâ nominatum aliud est à *domo secunda* Haggæo nominatâ. Illud tantùm quod de Præcursore h. l. & cap. IV. Malachias habet, accessit. Et rectè sentit R. *Saadia Gaon, Præcursor Messiæ filii David erit quasi legatus ejus, quasi disponens populum & expurgans viam, juxta illud Malach. III.* Sponte quoque confessi sunt *Kimchius* & *R. Abarbinel*, Angelum fœderis Messiam esse, deque

c. IV.

Hæmunoth. c. 8.

deque ipsius adventu Malachiæ vaticinium intelligendum.

XIX. Ex Hagiographis sistimus *quartò* Prophetam *Daniel* Angeli verba commemorantem: *Hebdomades LXX. decisæ sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam. Scito & animadverte, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, usq; ad Messiam Ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt.* Per hebdomades septenarium annorum numerum, sicut *alibi per Sabbata annorum* designari jam concedentibus Iudæis prolixè ostendere supervacaneum foret. LXIX. verò hebdomades usque ad Messiam conficiunt numerum annorum 483. Quomodocunque verò illi anni computentur, certum est finem eorum multis seculis nostra tempora præcedere. Venisse igitur *Messiam Ducem* cur dubitemus.

Dan. IX. 24, 25.

Lev. XXV. 8.

XX. Illustria vaticinia quatuor jam exhibita promittunt Messiæ adventum ante (I.) plenariam ablationem sceptri à Iuda & dissolutionē omnimodā Reipublicæ; (II) Stante templo secundo, (III) statim post comparitionem præcursoris, (IV) exactis à permissione restaurationis Urbis tempore Danielis ab Assyriis vastatæ annis 483. Præterierunt ista omnia, impleti sunt omnes termini. Nemo autem comparuit, qui se pro Messia venditaverit circa illa tempora, præstiteritque miracula & reliqua juxta Scripturas à Messia exspectanda; præter JESUM Nazarenum in quo nihil desideratur eorum omnium quæ *in Mose Prophetis & Psalmis* prædicta sunt. *Certò sciat ergo tota domus Israël quod & Dominum & Christum, Messiam, fecerit Deus hunc JESVM, quem crucifixerunt.* Instituti nostri ratio non fert, ut discutiamus Iudæorum undique conquisitas & anxiè excogitatas

Luc. XXIV 44.

Act. II. 36.

gitatas elusiones, contortas explicationes & commenta innumera, quibus omni studio id agunt, ut *videntes non videant & audientes non intelligant.* Luc. VIII. 10. Reservata sunto illa conflictui disputantium. Benevolum verò Lectorem non latet â Viris Cl. *Dilherro, Hakspanio, Hornbekio*, aliisque obviam itum adversariis. Dignissimæ præterea lectu sunt venerandi Senioris Academiæ Salanæ, Dn. *Ioh. Frischmuthii* disputationes selectæ, quibus dicta Scripturæ de Messia accuratè explicat, vindicat & Judæorum fauces elidit.

XXI. *Vbi autem admiserint Judæi, Jesum esse Messiam, oportet eos itidem admittere, quæ de semetipso, & Patre suo, & Spiritu S. tribus Trinitatis Personis, uno autem secundum essentiam Deo, docuerit aut doceri & omni creaturæ prædicari fecerit, vera esse. Nullam enim de Deo & divinis rebus doctrinam à Messia proficisci, vel hominibus obtrudi posse, nisi quæ vera sit*, prudenter monuit B. D. *Calixtus.* De duab. quæst. §. 3. Ita de illis quæ doctrinæ Christianæ objicere solent facilius transigetur, & Legis Mosaicæ Ceremonialis & Forensis necessitas, quam asserunt jugo assvetæ cervices, evanescet. *Percussit* enim Deus *cum domo Israël & cum domo Juda novum fœdus, non secundum fœdus, quod pepigit cum patribus eorum, cum educeret eos ex Ægypto.* Jer. XXXI. 31. Egregie prorsus de abrogatione istâ Legis contrà Judæos scripsit arcanorum Judaicorum detector candidus Nob. *Dn. Wagenseil* in refutatione Carminis R. *Lipmann* p. 544. & seqq.

XXII. Aliis curis relinquimus nunc controversiam, *An exspectanda sit insignis Judæorum conversio, vel non?* Affirmantiũ pariter ac Negantium sententias jam dudum nobis in eruditissima disputatione ad vers. 24. 25. 26. cap. XI. ad Rom. qui sunt, *de mysterio Israëlitis salvandi* communicavit, quæque

præ cœteris sibi probabilior videatur, indicavit Vir Summè Reverendus & Excellentissimus *Dn. Seb. Niemannus*, S. Theol. D. celeberrimus, SERENISSIMO CYMBRORUM DUCI REGNANTI, DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO, à Confessionb. Concionibus aulicis prim. & Consiliis Ecclesiasticis, nec non inclytorum Ducatuum Slesvic. & Holsat. supremus hodiè Superintendens, de omnibus Theologiæ partibus voce & scriptis, in cathedra Academia & Ecclesiasticâ insigniter meritus, Dominus Patronus meus omni observantia colendus.

Act. VI 52. XXIII. Judæi quidē *duri cervice & incircumcisi corde & auribus* hodiēq; *reluctantur Spiritui Sancto sicut patres eorū*, quod videre est ex *R. D. Kimchi.* & *R. Isaac Abarbanel* commentariis. *R. Joseph Albo* Libro עקרים sive fundamentorum, Variis libris נצחון s. victoriæ, Libris אמונות s. fidei. *Manasses Ben Israel* scriptis; & quam maximè in *Telis Igneis Satanæ* horrendorum Scriptorum Judaicorum, quæ feliciter excusit è blasphemorum manibus, & hoc ipso anno Altorffi Noricorum orbi Christiano exhibuit jam laudatus Nob. Dn. *VVagenseil.* Interspersit etiam ipse refutationi Carminis Lipmanniani magni faciendas admonitiones de rectè instituenda Judæorum conversione, de qua olim solliciti fuere Justinus Martyr *Dialogo cum Tryphone*; Tertullianus *libr. contra Judæos.* Cyprianus *adversus Judæos*, Eusebius Cæsariensis *libr. Demonstr. Evangel.* Cyrillus Alexandrinus *quæst. adversus Judæos*, Isidorus Hispalensis *contra nequitias Judæorum.* Et recentiores, Petrus de la Cevalleria, Hispanus *in Zelo Christi contra Judæos, Sarracenos & Gentiles*, cum glossa Martini Alphonsi Vivaldi. Wilhelmus Schickardus *in Append. libri de jure Regio Hebræor.* Johannes Müllerus

rus Theol. Hamburg. *contra Judæos*, Hornbekius, aliique: quamvis non omnes iisdem, nec semper idoneis armis instructi, bono tamen Zelo, ad bellum istud Domini accedant.

XXIV. Cœterum est in Judæis, est etiam in multis Christianis *Zelus Dei, sed non secundum scientiam*. Imò nomine *Zeli* ingens sæpè venit malitia & crudelitas, dum absque justa causa nonnunquam persecutiones horrendæ contra eos excitantur, atque sic, ut *Æneæ Sylvii* postea Pontificis Pii II. verba mea faciam, *calamitosum genus hominum Judæi, inter Christianos agentes, ubi paulum abundare creduntur, mox tanquam Jesu Christi Dei nostri Majestatem contempserint, aut Religioni illuserint, non fortunas tantum sed vitam quoque amittunt.* Scio equidem quanto odio Jesum Servatorem communem prosequantur: quibus Christum *Deum Benedictum in secula*, fidem & ritus Christianorum maledictis petant: quanta flagrent invidia: quantopere inhient bonis nostris. B. Lutheri sententia est: Wisse du lieber Christ / und zweifle nicht daran / daß du nechst dem Teuffel keinen bitterern gifftigern Feind habest / denn einen rechten Juden / der mit ernst ein Jude sein will. Et sanè qui genium populi noverit, facile intelliget, longè iniquiori nos fore loco, si tantum ipsis in nos quantum nobis in ipsos vel juris esset vel potestatis. Da possint, quantum velint, non solum eadem, sed longè graviora facturos experieris. Nec adeò imperiti sunt variarum artium attingendi scopum suum, & ex difficultatibus emergendi, ut non subinde quærant & inveniant *Blastum* aliquem, qui præest *cubiculo Regis*, & per eum *obtineant pacem*. Imò quibusdam in locis inter Christianos longè meliori sunt conditione, & mitius tractantur quàm Christiani, ut

Rom. X. 2.

Hist. Bohem. c. 34.

Tom. V. Witteb. f. 480.

Act XII. 20.

pro lubitu omnia obtinentes, omnibus abundantes inter se dicant: *Quæ est ista captivitas?* Non ago igitur eatenus ipsorum causam, absit! Hoc saltem volo, illis juribus, quæ homo homini salva relinquere debet, eos frui patiamur. Insontes omnium injuriis non exponantur, non imputentur ipsis, nec pro indubitatis habeantur, quæ à Judaismo ad nos transeuntes maximam partem σκάνδαλα deferre solent, nec ad fidem & baptismum suscipiendum vi cogantur. Sunto inimici nostri, Christianorum est, diligere inimicos, & quam maximè conversionis studio de ipsis bene mereri. Obtineat à nobis B. *Lutherus*, quod petit: Darum wäre meine Bitt/ daß man säuberlich mit ihnen umbginge / und aus der Heil. Schrifft sie unterrichtete / so möchten ihrer etliche herbey kommen / aber nun sie mit Gewalt treiben / und gehen mit eitel Lügentheidungen umb / geben ihnen Schuld / sie müssen Christen Blut haben / daß sie nicht stecken / und weiß nicht was des Narrenwercks mehr ist / das man sie gleich für Hunde hält / was solten wir gutes an ihnen schaffen.

Tom V. Vvitteb. p. 443.

XXV. Tuti igitur sunto à vi injusta Judæi, sciant tamen, se jam *non esse caput sed caudam populorum* vi maledictionis divinæ, Deuter. XXVIII. 44. Atque ita tractentur, *ut intelligant se servire, non dominari: ut intelligant, inquam, se cives non esse, nec alio jure commorandi uti, quam precario; prohibeantur quidquam contumelioſum, vel in Christum, vel in Beatissimam ejus Matrem, vel in Christianam Religionem effutire. Prohibeantur usuras ampliores exigere, quam publicæ leges permittunt. Prohibeantur uti famulis & ancillis Christianis, aut ex Christiano sanguine oriundis. Quod autem huc imprimis facit, jubeantur singulis septimanis audire sermonem, qui ad ipsos erudiendos, & ad sanam mentem, Christiq; agnitionem traducendos sit comparatus.*

ratus. Audiant in loco, in quo nullæ imagines vel statuæ, quas adeo aversantur, ut considere ibi nolint, ubi positæ vel erectæ conspiciuntur. Sermones habentibus de præmio, (dignus enim est operarius mercede sua) prospiciant ipsi Iudæi, aut si tenuiores sint, magistratus loci. Qui verò sermonem ad Iudæos habent, eò ante omnia eniti oportet, ut quid de officio Messiæ, quid de adventu ejus credendum sit, illis innotescat &c. Ita B. Dn. D. Calixt. Orat. selectar. V. *de populis in Religione à nobis dissidentibus, ad veritatis agnitionem ducendis.*

XXVI. Hæc ita de Judaismo dicta sunto. Multum quidem operis, quod ingenuè fateor, adhuc restat, & nuspiam forte latior campus est, ubi cum fructu operari possit quispiam atque hic; optandum proinde, ut Christiani crebrius de hoc argumento cogitarent, & minus necessaria minus quoque persequerentur. *Vulgus* enim, *neque omnino absq; ratione reprehendit in politicis nostris, quod arma Christiani Principes in se vertunt mutuo, quæ adversus Turcas potius pro redemptione operum Christianorum conquenda essent: idem annon multam partem Theologis quoque justè exprobrari possit, viderint, quorum interest, Christianos quidem acriter inter se decertare, sed rarò cum infidelibus, cum Iudæis, alitsque istius generis: vehementer illos inter se pugnare, sæpiusculè de apice aliquo, & subtili magis quàm necessario articulo, videriq; potius ingenti certamen esse, quàm fidei. Interim paucos istorum disputationem sustinere posse cum Iudæo, vel cum eo in arenam descendere. Ita nobis contingit, quod Isidorus Pelusiota scribit: propria duntaxat respicientes, communem hostem negligimus, armamur adversus nos invicem.* Huc usque ille. Deum vero Patrem Abraham, Isaac & Jacob invocamus, ut ipse *convertat* miseros, *tollatq;*

Hornbeck. sum. Controv de Jud.

libr. II. Epist. 139.

2. Cor. III. 14. 15. 16. 18. *latúq; cordi eorum impositum velamen Mosis*, atq; sic *omnes* tandem *retectâ facie gloriam Domini ut in speculo intuentes ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu, transformemur.*

Caput V.

Indicans vanitatem & absurditatem Religionis Mohammedanæ.

§. I.

CUm caput proximè præcedens errores Judæorum ostenderit, & Muhammedismus non pauca cum iisdem communia tradat, in his ordine recepto discutiendis sequens hoc caput occupabitur. Natus dicitur Mohammed, execrandus impostor, anno supra sexcentesimum vigesimo: quamvis alii, non hoc tempore natum sed celebrem fuisse, scribant. Nos hanc litem nostram non faciemus, nec tanti etiam est in hoc mustaceo laureolam quærere; Optandum potius, doctrinam pariter ejus impiam, ut natalem certum, Cimmeriis damnatam fuisse tenebris, nec unquam orbi tam pernitiose innotuisse. Quantùm tamen discrepent *Baronius*, *Marquardus Freherus* in suâ ad jus Græco Romanum Leunclavii, Chronologiâ, *Schindlerus*, *Erpenius*, *Elmacinus* in historia Sarracenicâ, apud ipsos videre est. Certè si Hegira, fugæ Mohammedis Epocha juxta communem Chronologorum sententiam incidit in 16 Julii Anni Christi 622, circa initium seculi septimi natum fuisse rectè statuitur. Interim *in eo* teste Dn. Hornb. *omnes consentiunt, post initium anni sexcentesimi, circa vigesimum istius seculi aut trigesimum annum natum, vel notum maximè fuisse, quippe ad istud tempus omnes istius mentionem faciunt.*

Summ. Contr. libr. III. sub init.

II. Nomen

II. Nomen ejus *Mohammed* quod concernit, idem denotat quod Græcum ἐράσμιος, *desiderabilis*. Natione fuit Arabs Meccâ oriundus, parentes habuit tam nobili nomine minimè dignus, *Abdalla* & *Eminam*, Wahebi filiam, non uti Kromayero aliisque visum est, ex ignobili & abjecta, sed illustri familia, quamvis tum temporis fortè inopi & paupere. Prosapia ejus erat inter Arabum præcipua tribu *Koreischitarum*, de qua *Hôttingerus* libr. I. Hist. Oriental. c. VIII. Avum ejus refert *Schickardus* in præfat. ad Tharich. *Abdalmutalibum* nominat. Assectæ Mohammedis genealogiam ejus usque ad Adamum explicant, imò *per omnes generationes*, ajunt, *jubar aliquod in fronte istorum refulsisse, ex quorum linea esset aliquando oriturus Mohammed, quod in hoc se totum denique effudit, hæsitq.* Nugantur porrò Mohammedani, *adfuisse ipsi in nativitate ex improviso obstetrices mirum quam speciosas & elegantes: Matrem sine dolore peperisse; Idola omnia ipso nato se inclinasse*; & nescio quæ non: ementita tamen omnia. Certè Persarum *Orismasda* seu sacrum ignem loco Solis quem venerabantur, non sponte, non in gloriam Mohammedis, Sed ab Heraclio Augusto fuisse exstinctum in expeditione contra Persar. Regem Cosroem: quodque tum Christiani milites idolum hoc sustulerint, edocent nos Historiæ. vid. *Leunclavii* Histor. Musulmanna Turcorum libr. I. Non possum tamen, quin huc apponam ridiculum sanè, quod Mohammedi quatuor annorum puero contigisse ajunt ab Angelis, tutoribus cœlitùs datis patris sui posthumo; *quorum tres puerum acceperint, & in montem seorsim abductum dissecuerint circa ventrem citra ullum tamen dolorem*, verba sunt Dn. Hornbekii, *intestinaque adeo pulchrè laverint, ut nive fuerint facta candidiora; cor etiam dissecuerint*, summa Contr. libr. III.

secuerint, atq; ex eo nigrum granum, vel atram guttam, (quam singulis inesse, ceu semen aliquod Diaboli, quo homines vexantur, credunt) *abstulerint. Denique redditis ei sic intestinis, & corde, bene lotis purgatisq;, nitidus puer ad suos reversus dicitur,* ut videre est apud *Johannem Andream* Confus. Sectæ Muhammed c. 1. & in Alkorano Germanic c IV. Vecors autem sit, his qui fidem adhibeat.

III. Meccâ autem Patriâ suâ urbe Arabiæ non Felicis, ut vulgò statuitur, sed referente *Gabriele Sionita* de Oriental. urbibus, Desertæ, â Koreischitis, quorum ea tempestate & inclytum nomen, & in civitatem Meccam imperium, pulsus ob novas, quas disseminare cœpit opiniones Medinam aufugit, â qua ejus fuga Mohammedani æram suam, *Hegiram* i. e. *fugam* ita dictam inchoant, uti Iudæi â mundi initio, Græci â prima Olympiade; Romani ab urbe condita; nos Christiani à nato Christo mundi Salvatore annos supputamus. cap. 7.

IV. Sed ad vitam Mohammedis quod facit, Mercatori cuidam diviti, ut camelis præficeretur, venditus, ob liberalem faciem liberaliter quoque habitus est. De S. *Isidoro Hispalensi* huic *συγχρόνῳ* refertur, quod ex physiognomia hominis, cum privatus in Hispaniam veniret, fortassis ex colloquiis potiùs, & sermonibus ejus ad se delatis, conjecerit, magno & Ecclesiæ & Reipublicæ damno eum natum esse, &, ut caperetur, svaserit. A multis tamen Christianis pariter ac Iudæis, quibus commerciorum occasione innotuerat, in pretio fuit habitus, usque dum Domino *ἀτέκνῳ* demortuo, viduam ejus quinquagenariam quidem, sed prædivitē, vel formæ morumq; elegantiâ, vel industriâ, vel magicis artibus captam *Chadigam* in matrimonium acciperet,

peret,& omnium bonorum hæres constitueretur. Cum autē morbo laboraret Comitiali seu epileptico, uxori fucum facere studuit, ne à morbido alienior fieret: fastiditâ igitur mercaturâ, ad fingendum ecstases, & angelicas apparitiones, insomnia, ac Enthusiasmos animum transtulit; divina se pati simulans, quoties Epilepsia correptus cadebat. *Gabrielem, dicebat, Angelum Dei solere sibi apparere eo tempore, cujus Angeli aspectum non sine horrore totius corporis, animiq; deliquio posset perferre.* Id quod cum crederet ipsa conjux, vel simularet se credere, vel quia ei, quod libenter volumus, facilè assentimur credibile reputant, interque alias sui sexus divulgaret, pro Dei Propheta fuit habitus impostor.

V. Cum fraudes istas sic satis ex voto sibi succedere videret, mox de Lege nova promulganda cogitavit: nec deerant, qui nebuloni suppetias ferrent, & in scripto quodam corradendo Idiotam adjuvarent. E Iudæorum numero fuisse *Phinean* quendam, & *Abdian ben Salon* perhibetur. E Christianis verò *Sergium* Monachum, è Constantinopolitano agro ob hæresin vel Monotheletarum, vel Arianorum, vel Nestorianorum, (in eo enim variant scriptores) ejectum. Hos sibi adjunxit sociennos Mohammed, & sic Samaritanismum ejusmodi religionis composuit, ut Iudæi & Christiani & Gentiles, quod in illo probarent, invenirent, & ipse plures gentes in societatem suam eo faciliùs pertraheret. Sunt quidem, qui volunt, Mohammedem gentili patre, Iudæa verò matre natum, & ita diversis in religionibus à teneris educatum fuisse, talemque religionis miscellam excogitasse: sed plus verisimilitudinis prius adducta ratio videtur habere, cum omnia Mohammedis consilia regnandi & imperium dilatandi artibus nitantur; nisi utramque

conjungere velimus. Illud ex ipso Alkorano facilè ostendi potest, docuisse versipellem tam Zabæis, Judæis, & Christianis, quàm sectatoribus suis Paradisum patere. Verba ejus hæc sunt: *Vtique qui crediderunt, & qui Judaizant, & Christiani & Zabai, quisquis credidit in Deum & diem extremum, & egit bonum, illis eorum merces apud Dominum eorum, & non timor super eis, nec illi tristabuntur.* Rursus in eadem Suratâ: *Dixerunt, non ingredietur Paradisum, nisi qui fuit Judæus aut Christianus. Et dicit Judæus, non sunt Christiani quicquam: Et dicunt Christiani non sunt Judæi quicquam: Et ipsi scrutantur Scripturam. Sic dicunt, qui non sciunt consimile dicti eorum: Et Deus judicabit inter eos die resurrectionis, in qua fuerunt in eo disceptantes.*

Surat. II.

VI. In Judæorum gratiam, eorumq; ad exemplum non solùm duplicem legem, Scriptam in Alcorano & non scriptam, quæ *Suna* dicitur, constituit, quam inter Arabes celebris *Bocharis* in apophthegmata 5275 redegit: sed etiam multas appellationes & ritus, dogmata & ceremonias retinuit. Sic adhuc cum illis communem habent Turcæ circumcisionẽ, quam *si fides quorundam hodæporicis habenda, non in masculinum tantùm sed etiam fœmininum sexum extendunt*, ceu loquitur B. Dn. *Kromayerus* in Hist. Eccles. sub finem Centur. VI. Asserit autem *Seid ben Ali* fœmellas in Ægypto *circumcisioni non Legis, sed honoris causâ subjici.* Negat tamen fieri *Bartholomæus Georgiwitz* de Turcar. moribus cap. I. cujus verba hic integra subjiciam, cum plura contineant observatu digna: *Vtuntur circumcisione* Turcæ, *eorum lingva* Tsuneth *dicta, non octava die, more Judæorum, sed quamprimum natus septimum aut octavum annum* (imò IX. X. usque ad XIII. juxta *Sionitam* p. 78. & *Corovizii Itiner. p. 123.*) *exegerit,*

P. m 276. incis. III.

gerit, sermonis jam peritus: idque ipsis mysterium est, propter verba confessionis, quæ ante circumcisionem requiruntur, erecto pollice manus Parmach dicto, hæc Arabica lingva videlicet: La Illah Blellah, Mehemmed Iresul Allah, Tanre Iir, pegamber Hach, id est, non est Deus nisi unus, Mehemmet autem propheta ejus; Creator unus, & prophetæ æquales. Vel hæc: Fila galib llellah, id est, non est fortis sicut Deus. Puer autem ob id non defertur in templum, sed in domibus parentum circumciditur. Huic, inquit, solennitati sæpè interfui, quæ ita se habet: primò convocatis amicis ad convivium, quibus satis delicata parantur fercula ex omni genere carnium quo ipsis vesci licet, & passim (ut apud ditiores) bos cæditur, in hunc excoriatum & exenteratum includunt ovem, in qua gallinam, & in illa ovum, quæ integrè assantur ad splendorem istius diei. Deinde inter epulas tempusq; cœnæ adducitur puer circumcidendus, cujus Medicus illius artis glandem retegit, & replicatam pellem forpiculis apprehendit: deinde, quo metum adimat puero, ait, se in proximum diem circumcisionem peracturum, atque ita discedit: mox simulans, quasi omissum aliquid esset, quod ad præparationem attinet, ex improviso præpucium abscindit, vulneri parum salis, & bombasini apponens; jam vocabitur Musulman, id est, circumcisus. Et die circumcisionis non induntur illis nomina, sed ipso die natali, quo in lucem eduntur, quæ nomina sunt diversa pro conditione hominum. Postea, pergit, continuato trium dierum convivio circumcisus ducitur in balneum cum maxima pompa. Cum redit domum, ducitur per convivas, qui parata illi munera offerunt: alii vestes sericeas, alii scyphos argenteos, alii pecunias, vel etiam equos. Mulieres quoque induvia, sudariola, & alia hujuscemodi. Juxta voluntatem & opes unusquisque convivarum donant. Fœminæ non

patiuntur circumcisionem, sed tantummodo jam dicta verba confitentes Musullimam efficiuntur. Hactenus *Georgiwitz.* Judæis porrò ut placeret Mohamed, prohibuit quoq; porcinam, Po-
Sur. IV. lygamiã approbavit, & exemplo aliis præivit undecim enim uno tempore uxores habuit, alii ipsi tribuunt septendecim præter concubinas. Divortia etiam, sicut olim Judæi, levissimas ob causas concessit. Imagines detestatus est, adhibuit lotiones corporis, & quæ sunt alia, ab Excellentissimo Dn. D. *Christ. Kortholt*, Theologo apud Kilonienses primar. Dn. Hospite quondã ac Præceptore meo ætatem colendo in Diss. de Religione Ethnica, Judaica, & Muhammedana sect II. prolixius ostensa. Silentio jam involvam Judæorum vestimenta, cidarim, defunctos curandi ritus, sepulchra, in quibus Turcæ Judæis ita se conformant, ut vix ovum, quod dicitur, ovo similius videatur. Nec fabulas Rabbinicas commemorabo, de monte Sinai radicibus suis evulso Judæos protegente à Legislatoris vehementia, de Angelorum cum hominibus commercio, de Angelo Mortis, de חבוט הקבר Percussione sepulcri, quas omnes suas faciunt Mohammedani.

VII. Christianis verò accedunt in hoc, quod de Chri-
Sur. V. XI. sto honorificè loquuntur, illum *Dei nuncium* vocant, item, *cælitus missum*, ibidem, *sine viri opera, virtute Sp. S. à B. Virgine conceptum*; Eundemque *Legislatorem & Prophetam magnum, à Deo missum Messiam verum, qui sine peccati labe* vixerit & multis *miraculis* claruerit agnoscunt: Proinde Judæis Christum blasphemantibus certus plagarum numerus pœnæ loco dictatur. Et sic cum aliis quoque sectis collu-
Disp. III. part. I. §. 54 seqq. sisse Mohammedem, in consideratione Theologiæ Mohammedanæ passim ostendit *Petr. Holm.* Svecus, B. *Dn. Kromayerus*,

rus in Scrut. Relig. *Hottingerus* in Historia Orientali & Ecclesiastica. Sec. VII. Longè plura verò sunt in quibus Hæreticorum priscorum causam agit filius iste perditionis: Cum Cerinthianis Basilidianis aliisque impudenter negat Iesum ipsum crucifixum esse. Quemadmodum enim illi loco Christi Simonem passum fuisse delirârunt, ita Mohammed Iudam proditorem sub Christi specie occisum; Christum verò elapsum in cœlum ascendisse asseruit. Arianis deniique & Photinianis quorum ingens erat tunc temporis numerus ubique favet, dum æternam divinitatem Domini nostri Iesu Christi & Spiritus sancti allatarenon erubescit.

IIX. Neutiquam autem integrũ Alcorani codicẽ vel simul editum vel se accepisse commentus est, *sed per partes & membranulas, jam hoc, tum illud caput, & versum, pro re nata, prout videbat hoc vel istud de se credi consultum esse, & ad adversarios suos (Meccenses præcipuè) coarguendos, iisque os quasi cœlestibus oraculis obstruendum, protulit: Vnde ille materiarum toto Alkorano est nusquam coharens ordo, ac mera confusio, unum alteri rarò conveniens*, ut loquitur Dn. *Hornbeck*, & paulo post: *Neque reliquit nisi acervum schedarum prophetias suas continentium, quas non ipse redegit in istum, quem habemus, codicem, sed successores ejus collectas in unum, ita prout nunc sunt, compegerunt.* Causam confusionis hujus in Alcorano, quam afferre solent, adductam videat Benevolus Lector â B. *Kromaier.* in scrutin. Relig. disp. III. pergat interim *Hornb.* *Jam dicunt, per particulas ei singula â Gabriele Angelo (quo cum fuerit valdè familiaris) adducta & revelata fuisse: jam â Deo ipso in cœlis, quo admiranda equitatione pervenerit, accepisse.* l. c.

IX. Verum, sunt inter ipsos Mohammedanos, negantes,

gantes, unquam Mohammedem in cœlo cum DEO locutum fuisse, & mirè hic variant, cum alii â Gabriele acceptam legem dicant: contra alii ab hominibus, viris sapientibus ac disertissimis compositam, velint. Surat. XXI. versionis latinæ Retinensis asseritur, â DEO fuisse compositam, atq; ab eo ad homines missam per Angelum Gabrielem, primò ad Mohammedem: & alibi; quod noctu â DEO ipsi fuerit tradita, & quidem *in nocte Alchidera*, nocte scilicet omnium felicissima. Sed de *Mohammede* satis, si saltem indicavero, ex febri obiisse eum ætatis anno LXIII. in urbe sua Medina, ibique sepultum esse. Quod de pendulo ejus sepulchro vi magnetica in aerem attracto vulgo narratur, nullam meretur fidem. Restat, ut de Alkorano ipso, ejus versionibus, & postea de modo, quo propagata fuit hæc Religio, propagatur & conservatur etiamnum, pauca quædam prius adjiciamus, quam ad ipsam ἐπίκρισιν accedamus.

X. *Alkoran*, Arabica vox est & *Lectionem* significat, appellatur etiam *Al Phurkan* volumen vel distinctionum, vel boni & mali discretivũ. Quod Arabicè est Alkorani sectio sive caput, *Surata*, latinus interpres *Robertus Retinensis* dixit Azoara. Capita habet liber Alcorani 114. Cum præfatione; secundum versionem verò latinam plura, & quidem numero 124, in Germanicâ verò 96, quorum alia pro diversitate loci, quo sibi tradita finxit impostor, dicuntur Meccensia, alia Medinensia. Monet insuper *Petrus Bellonius*, ab Osman genero Mohammedis Alkoranum in IV. Libros digestum fuisse, quorum *Primus quinque habet capita: Secundus duodecim: Tertius novendecim: Quartus centum & sexaginta quinq;*. In varias sæpè linguas translatum fuisse Alkoranum, constat. In latinam vertit iam dictus Anglus

Observ. L. III. c. 3.

Rober-

Robertus Retinensis cum *Hermanno Dalmatâ* jussu *Petri Abbatis Cluniacensis*; quam versionem post quadragintos circiter annos sub medium superioris seculi cum refutationibus Alkorani & aliis multis eò facientibus edidit Tigurinus Professor, unus ex illis, qui Biblia procuraverunt Tigurina, dictus *Theodorus Bibliander*. De hac tamen *Rob. Retinensis* versione monente *Dn. Hornb.* libr. cit. sciendum, *non ex Alkorano, sed ejus paraphrasibus concinnatam fuisse, unde tanta istius versionis cum aliis, ipsoque Alkorano diversitas*. Conf. B. D. *Dav. Chytræi* orat. de statu Ecclesiarum in Græcia. Animum quidem transferendi habuit, atque eo fine magno cum periculo Africanam Arabum Academiam Fessanam adijt *Nicolaus Clenardus*, Prof. Lovanienſis: ast, non perfecit, quod proposuerat. Arragonicâ linguâ exhibuit cum glosſis ad fidem Christianam conversus *Johannes Andreas* Maurus. In Italicam translatus est Alkoranus, curante *Andrea Arrivabene*, quæ versio, ubi latina Retinensis est obscura, â multis commendatur. Versionem Germanicam primus adornavit *Salomon Sweigerus*, Norimbergensis, Legati tum temporis ad portam Ottomannicam Cæsarei, Baronis â Sintzendorff concionator, opus in tres libros distinctum, & Noribergæ 1623. impressum edidit. Versio ista postea quoque in sermonem Belgicum transiit. Sed & Gallicè prodiit Alkoranus, à *Du Ryer* ex Arabico redditus, additis subinde variorum glosſis. Commendatur etiam Anglicana versio, & exspectatur *P. Maraccii* translatio cum confutatione. Extat præterea *Testamentum Mohammedis*, quod ab ipso in favorem Christianorum compositum fuisse dicitur, ut hi pari conditione cum pag. 24

ſuis ubique haberentur, vita, commercio, ac omni denique auxilio, vicisſimque ut apud Chriſtianos Mohammedici omni fruerentur favore & privilegiis. Teſtamentū hoc hoc primus in Gallia protulit ex ſua verſione *Gabriel Sionita*, & ante quadraginta circiter annos *Johannes Fabricius*. Illuſtris *Grotius* ſcriptum totum à Chriſtianis *ſuppoſitum* exiſtimat, *ut ſub obtentu tanti nominis Muſulmannis æquioribus uterentur*. Cui etiam accedit ſæpè laudatus Dn. *Hornb.* & *tum in mercatorum, tum monachorum gratiam conditum* arbitratur.

In Epiſtol. ad Salmaſ.

XI. Quemadmodum autem venena intra corpus aſſumta mox exſerunt malignitatem ſuam: ita Mohammedis doctrina ſtatim vehementer concuſſit infectas Provincias, cum vi manifeſta fidem & obſequium imperare inciperet. Ejus conſilio & mandato poſteri etiam in acie acinacis maximum argumentorum robur collocant, ipſorumque Doctores habitu & geſtu id indicant, dum publicè explicantes Alcoranum ſtrictum, gladium dextrâ tenent. Nervos belli Mohammedi ingentes divitię ſubminiſtrarunt quibus nixus manipulum aliquem furum initio collegit. Poſtea, cum Saraceni ſub Heraclio Imperatore militantes, quod ſtipendia non acciperent, ab eodem defeciſſent, eorum Dux factus, armis ſuperſtitionem ſuam longè lateque propagavit. Conatibus iſtis favit fortuna, ut non tantum eo, quo telam orditus eſt ſeculo, Palæſtinam, Perſiam, Ægyptum, & magnam Africæ littoralis partem ſuam facerent, ſed & poſteâ Archipelagus navibus ingrederentur, & ſedem Imperatoriam Conſtantinopolin, quamvis tum temporis fruſtra, obſidione tentarent. Infecit poſteà Mohammediſmus

dismus Tartariæ & Indiæ magnam partem; in Europa etiam per Mauros in Hispaniam traductus est, feliciter tamen rursus ejectus. Græciam verò, Daciam & Illyrici magnam partem hodieque opprimit, omnesque provincias occupat, quas ex Asia egressi Turcæ subjugarunt.

XII. Mirari tamen, idque haud immeritò, quis posset, quî evenerit, quod hoc tam absurdum (ut infra magis patebit) dogma, apud tot gentes in orbe fidē invenerit, vel, quod non statim in herba, ut loquimur, fuerit succisum; Ratio autem ejus hæc forsitan potissima est, quod hæretici diversi, veluti anteambulones jam semina sparserant, imprimis Arius cum suis sectatoribus. Vnde proverbium: *Arianismus viam stravit Muhammetismo in Oriente.* Nec est, quod dissimulemus, Deum ingratitudinem Christianorum punire Mohammedismo: *Religio n.* sunt *Hug. Grotii*, verba, *passim non in mentis puritate, sed quasi reducto Judaismo in ritibus tum temporis collocari cœpit; Et in iis, quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem, in se continent, itemque in studiis flagrante semel electarum partium: tandemq; evenit, ut ubiq; multi essent Christiani nomine, re paucissimi.* De Ver. Rel. libr. VI. §. 1. Admittebatur autem facilè Mohammedismus quasi quod esset coagmentatus ex tribus illis Religionibus, Judaismo, Christianismo, vel potius hæresibus, & Gentilismo, quæ dictæ religiones tum potissimum in tribus mundi partibus obtinebant. Ne dicam nunc, quod è Christianis plurimi propter gravissimum jugum, & onus tributi; â quo immunes circumcisi efficiuntur, ad Turcarum castra abeant. Cœterum *Septimo quoque anno mittitur â Tyranno puerorum collector, qui oppida illius transiens, debitos pueros colligit. Vnaquæq; autem, civitas vel quatuor, vel tres, vel*

duos minimum debet; uti narrat *Metroph. Critopulus* in confes. Eccles. oriental. Audiamus quoque, quæ nobis â Doctissimis Anglis suggeruntur causæ; Recenset harum quatuor *Edoard. Brerewodus*, & totidem quoque *Joh. Forbesius â Corse.* Prior: *dum in causas*, inquit, *ob quas tam longe lateq; impia ista secta diffusa est, inquiro, quatuor, præter divinam justitiam, peccata Christianorum hoc modo punientem, (illæ primò Regiones oppressæ sunt, in quibus Christiana Religio maximè viguit) invenio. Primam; in tot prospero ductu partas victorias conjicio: Victi semper victoris Religionem sequi coacti sunt. Alteram omnium de Religione disputationum, sub pœna capitis inhibitio suggerit. Tertia suppressioni studiorum Philosophiæ, per quam maxima potiorum superstitionis Mohammedanæ partium vanitas detegi potuisset, debetur. Iam docere in Universitatibus, â quadringentis & ultra annis prohibitum est, cum antehac Cordubæ, Fessæ, Marocci, Bagdadi, & in aliis urbibus floruerit. Quartam carnalibus voluptatibus fruendi, & plures uxores ducendi licentia suppeditat; cui similium oblectationum in Paradiso promissa accedunt. Magis horum oblectamenta expertes afficiunt, quam spiritualium deliciarum promissa, quæ in spe duntaxat offeruntur, & talia sunt, propter quæ sensuales voluptates necesse sit derelinquere.* Hactenus ille; Cui jungimus modo citatum *Forbesium*, qui Instruction. Historico-Theologicar. libr. IV. scribit: *Artes, quibus propagata & conservata est Mohammedana superstitio, sunt præsertim quatuor, videlicet (1) Latrocinium & terror gladii. (2) perfidia (3) Carnalium voluptatum effrenis licentia & promissio. (4) Imperatus stupor, & cæca obedientia; prohibet enim Mohammed examen suæ doctrinæ, nec sinit de ea disputare, in Alcorano cap. V.*

Scrut. Relig. c. III. in fin.

4, 19. §. 1.

XIII. Pe-

XIII. Periodum imperii sui dicitur ipse impostor morti vicinus indicasse, interrogatus enim, quamdiu regnum suum sit duraturum, cum loqui amplius non posset, digitos utriusque manus extendisse fertur, decem annorum centurias designans; Quæ si vera forent, currente hoc seculo finem sortiretur Imperium Turcicum. Hactenus sanè justo Dei judicio crevit potiùs potentia Mohammedanorum, & nihil obfuit impiæ superstitioni multitudo sectarum, quas inter non leve est dissidium; de quo legi meretur *Hottingeri* Historia Orientalis. Gravissimum autem inter sectatores *Ali*, Persas, & assecias *Omar* atque *Osman*, Turcas intercedit.

XIV. Persas quod attinet, quamvis & illi Mohammedem sequantur, & idem cum Turcis principium dogmatum *Alkoranum* videlicet, habeant; circumcidantur etiam, & Musulmanni dicantur, postquam tamen â Turcis scisi regnum peculiare condere cœperunt, odio plus quam Vatiniano prosequuntur Turcas, & apud hos non minus odium incurrunt. Differunt autem, referente Viro Nobilissimo B. *Dn. Ad. Oleario* in Itinerario suo Persico, his præprimis quatuor (I) Interprete & interpretatione Alkorani, cum Persæ *Ali*, generum & ex sorore Muhammedis nepotem Interpretem recipiant. (II) Diversis Sanctis; Persæ namque suum *Ali*, Turcæ *Hanife*, & Tartari *Schafei* venerantur. Discrepant (III) habitu, ceremoniis & ritibus. Turca semper gerit Tulipantum lineum, capitis involucrum; Persarum verò secta præcipit, ne caput ex fastu quodam lineis ejusmodi spiris ornent, sed tegumento duntaxat ê lanâ & vili pretio, constante. Hi ut ægrè faciant Turcis, etiam vestimentis suis imagines intertexi curant, cujusmodi veste indutum Legatum ad portam Ottomannicam mittunt. Norunt namque, libr. V. c. 39.

ne in nummis quidem imagines facilè tolerare Turcas. Differentia deniq; consistit (IV) in diversis miraculis: cum Mohammed & sectatores Omar miraculum patraverint nullum, Persæ suis sanctis nonnulla ficta potiùs, quàm facta tribuunt.

Matth. VII 16. 17. XV. Vidimus hactenus radices & incrementa vastæ quidem, sed *putris* hujus *arboris*: nunc sequemur monitum Servatoris nostri, *arborem ex fructu* doctrinæ agnoscemus, atq; sic facilè *Primò* Pseudoprophetam Mohammedem esse demonstrabimus. *Secundò* teorsim Alcoranum verbum Dei non esse ostendemus. Prius quod attinet, cum ex confessione Mohammedis Jesus sit verus Propheta: Ipsius autem doctrina Evangelio Christi contradicat in primariis capitibus Religionis: explodit enim Mohammed S. Trinitatis mysterium, Jesum merum hominem fuisse docet, passum ipsum pro nobis negat, &c. Mohammedem Pseudo Prophetam esse necesse est. De se ipso enim Deus, qui simplicissima Veritas est, contradictoria non possit revelare.

XIV. Mohammedanis semper in promtu responsio est: Libros tam Veteris quam Novi Test. esse corruptos: Vaticinia de Mohammede Christianorum pariter ac Judæorum fraudibus erasa: atque hanc causam esse quod in Scriptura Novi imprimis Test. nulla Mohammedis exstet mentio, licet Christus aliquando dixerit: *Annuncio vobis nuncium bonum, quod pone me venturus est Apostolus & Propheta, nomen ei Mohammed.* Verò pro arbitrio hæc fingunt, refingunt-que, & corruptam S. Scripturam, depravatamq; absq; omni vel probatione, vel saltim verisimilitudinis prætextu, nullis vel τεκμηρίοις, vel signis in medium prolatis, clamitant. Non repo-

reponam nunc argumenta, quibus Theologi nostri integritatem Codicis sacri tuentur: Instructissimam eorum aciem sistit B. Dn. *Gerhardi* Exeges. L. Theol. & B. *Horneji* exactissimus Tractatus de Scripturis divinis, ut & B. *Glassii* Philologia sacra Lib. I. Ego istud nunc agam: inquiram in Autores istius objectæ corruptionis, quæ mihi impossibilis videtur. Si depravati sunt Codices, necesse est, fuisse corruptores illos aut Christianos, aut Judæos, aut utrosque. Posterius esse nequit, nam hæ duæ partes nunquam conspirarunt. Solos depravasse, æquè est improbabile, alter enim alterius sacrilegium mox prodidisset. Illos præterea Religio â designando tali flagitio cohibet satis: hi verò ad superstitionem usq; pro servandis literis sunt solliciti, Josepho enim contra Apion. & Eusebio præparat. Evangel. libr. VIII. testibus: *Judæi tanta fide S. Scripturam asservarunt, ut maluerint centies mori, quam quicquam in eadem immutare.* Et sanè hodienum jejunium indicunt, si Biblia in terram ceciderint; Notum quoque est, quanto cum labore, incredibili fere, opus Masorethicum in V. T. perfecerint. Imò, si vel maximè voluissent depravare, non potuissent; cum libri Biblici in varias lingvas translati per totum terrarum orbem essent dispersi. Deinde quo tempore in fraudē Mohammedis corruptio ista fieri potuerit non videmus. Certè non antè adventum Pseudoprophetę, quum ipsum doctrinam Christianæ contrariam prolaturum nondum noverant, nec suspicari poterant, multò minus ab eo sibi metuere: Nec post Mohammedem corruptio contigit; cum scripta Patrum, qui antè seculum septimum, quod monstrum istud hominis peperit, integros libros explicarunt, *Ambrosii*, *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Augustini*, *Cyrilli*, *Theodoreti* aliorumq; cum nostris codicibus collata testen-

L. de S. Sc. §. 318. seqr.

testentur, incorruptam posteros servasse Scripturam. Imò
Matth. V, 8. cœlum citiùs corruet, quàm de eâ ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία prorsus tollatur. Quod si sufficiat dicere, nomen Mohammedis olim lectum in Bibliis, vel inter dicta & conciones Christi fuisse, atque inde ablatum; idem possunt facilè dicere vel Persæ de nomine sui Oali, vel Turcæ de Amar, in gravibus, quas inter se mutuo exercent, contentionibus, quibus tamen simile dicentibus ideò fidem non adhibebunt: adeoq; nec à nobis circa commentum de nomine Mohammedis meliora exspectabunt. Et sanè, quilibet impostor poterit de se suoq; nomine idem asserere, si nudæ assertioni credendum; quilibet Sectatorum *Montani* Veteris Hæresiarchæ potuisset dicere, post hæc Johannis verba: *Ego ro-*
c. XIV, 16. *gabo patrem & alium paracletum dabit vobis*, nomen *Montani* esse deletum, ut volunt hi Mohammedi factum: sed eadem meritò facilitate rejicitur, qua asseritur. Corruptionē porrò Scripturæ dum verosimilem reddere conantur ex locis, quæ sibi invicem repugnare censent, nihil agunt: nostrum etiam non est, singula jam excutere, cum objectionibus istis à Conciliatoribus, quæstionesque dubias resolventibus antiquis & recentioribus Scriptoribus abundè sit satisfactum.

XVII. Concludimus itaque: Quia *Lex & Prophetæ ἕως*
Luc. XVI. 16 *usq; ad Johannem, deinceps regnum Dei evangelizatur*, quisquis
Gal. I. 8. *præter id quod* Christus & Apostoli docuerunt, *evangelizaverit, licet Angelus fuerit ê cœlo, anathema sit.* Ad cœleste teistmonium provocat homo mendax, dum in Surata *de Mulieribus* hæc Deo verba tribuit: *Equidem nos inspiravimus Tibi, sicut inspiravimus Noæ, & Prophetis post eum, & apparuimus Abrahamo, & Ismaeli, & Isaaco, & Jacobo, & tribubus, & Jesu, & Job, & Jonæ, & Aaroni, & Salomoni, & dedimus*

Davidi

Davidi Psalmos. Et quosdam Apostolos olim recensuimus Tibi, quosdam vero non. Et collocutus est Deus Moysi ad facie ad faciem. Adsunt in medio nostrum codices sacri, qui testantur de fide & vita eorum, quos commendat istud à Mohammede proditum oraculum. Ostendat qui valet, indubitatæ utrinque authoritatis Virorum doctrinæ consonare legem Mohammedis: aut certis argumentis edoceat, aliud illos docuisse, quàm superstes loquitur pagina sacra. Hæc si præstare non poterit, Prophetis illis contradicens doctrina falsa est, & qui eam tradit, Pseudo-Propheta. Posset si opus esset urgere, Prophetas V. T. miraculis fuisse illustres, vera illos prædixisse, eosque variis insuper donis à Deo fuisse instructos, quorum nullum in Mohammede unquam fuit repertum. Quemadmodum denique doctrina ejus reliquis motivis externis, quæ Christianam Religionem commendant, destituitur, ita etiam ipse author mulierosus, impurus, putredine in sepulchro resolutus, ut Jesu Servatori, hostium etiam confessione sancto, innocenti, inque cœlum assumpto, præferatur, ferre non possumus.

XV. Pergimus ad examen Alcorani ipsius, nec divinum nec fide dignum centonem istum esse demonstraturi. Innumera sunt & magna elogia, quibus seipsum hic liber ad nauseam usque commendat. Ita enim Surat. II. *Hic liber est absque falsitatis vel erroris annexu veridicus.* Surat. X. *librum veracissimum Tibi de cœlo mandavi.* & præcedenti: *Liber hic vobis cœlitus missus.* Surat. XXI. *Verba hujus voluminis composita sunt per sapientissimos & eloquentissimos.* Imò tantum sibi tribuit, ut asserat *Eum qui unicam tantùm legit in libro Dei* (Alcorano scilicet) *literam, mereri bonum retributionis.* Non minora elogia alibi etiam in Alkorano occurrunt; unde & tanta veneratio inter Mohammedanos Surat. LXXIV.

hujus libri est, ut nisi â loto mundoque attrectari nefas ducant, eumque extremis saltem digitis librum tangant, & volumini extrinsecus literis majusculis inscribant: *non tangat nisi mundus.* Ipsi insidere Christianis & Judæis est capitale. Præterea quamlibet chartam humi jacentem tollunt, rimæque parietis indunt, metuentes ne fortè illa ex Alkorano delapsa nomen Dei vel Mohammedis contineat: hoc verò mirè ad salutem facere sibi imaginantur. Nam cum ipsis nulla alia detur ad Paradisum via, quàm per magnam ferream cratem, eamque candentem: hæc, ajunt, charta memor exhibiti honoris, quo minimè retur quispiam aderit, pedibusque substernetur, ut illi ab ignis injuria maneant immunes. *Busbeq.* in itiner. Constantinopol. p. m. 44. seqq. Graviter vero irascuntur iis, qui ad sordidissima quæque ministeria chartis abutuntur.

Schickard. in משפט המלך

XVI. Neutiquam tamen divinum esse, divinæque originis Alcoranum facilè ut opinor ostendi potest. I. Verax est Deus, falli & fallere nescius, & verba ejus sunt veritas: At in Alcorano mendacia traduntur, nec numero pauca, nec subtilia, dubia, aut subobscura, sed quæ manu palpari possunt. Apertum mendacium est. Christianos colere Tres Deos, Trinitatisque Personas nostrâ sententiâ esse Deum Patrem, Filium, & Mariam. Tribuit nihilominus hanc Christianis doctrinam, atque insuper accusat nos, quòd contra Servatoris nostri voluntatem eam defendamus. Clara sunt verba Suratæ V: *Dixit Deus ô Isai* (ita nomen salutare JESU inflectere solet) *fili Mariæ, num tu dixisti hominibus, assumite me & Matrem meam duos Deos præter Deum? Dixit, Tibi laus! non erit mihi ut dicam id quod non est mihi in veritate. Si dixissem, pridem novisses illud, novisti*

novisti quod in anima mea, & non scio quod in animâ tuâ: utiq; tu cognitor es arcanorum. Tanto Alcorani mendacio inductus etiam *Sampsates Isphahanensis* Persa per epistolam Meletio Monacho exprobravit, quòd *Christiani dicant se tres personas adorare, Patrem, Matrem, Filium.*

XVII. Idem Spiritus mendacii, qui superiora Mohammedi Alcorano inserenda suggessit, se prodit, dum nobis imputat, quòd statuamus talem generationem divinam Filii, qualis est per conjunctionem maris & fœminæ generatio hominis & brutorum. Quapropter contradicturus Christianis Mohammed Surat. LXXII ita ait: *Non habet DEVS uxorem sociam, itaque nec filium.* Sed Christianorum nulli unquam vel per somnium in mentem venit per eam gignendi rationem Filii Dei originem explicare. Quod autem consequentiam elumbem attinet: Cum Mohammed fateatur Jesum natum ex Maria Virgine sine Patre, cur negat Deum posse generare filium sine muliere matre? Sed longum esset talium mendaciorum Alcorani catalogum texere, quem augerent (II) innumeræ contradictiones. Ita Alkoranus ipse jam dicitur à Deo factus, mox ab hominibus, modò immediatè à Deo Mohammedi traditus, modò per Gabrielem missus. Mundus alicubi intrà biduum conditus scribitur; alibi intra dies sex. Testatur sanè *Johannes Andreas Alfaki*, Sacerdos Mohammedanus, qui Christianam fidem amplexus Confusionem sectæ Mohammedanæ scripsit, c. 2. Turcas numerare in Alcorano plures quam 150 versus, *Nacehamansoh.* i e. revocatorios dictos, quòd authoritas illorum ab aliis versibus contradicentibus sit sublata, cum nulla excogitari potuerit conciliatio, mendacium nullũ inveniri, quod mendacium tegeret, ne perpluat. Ecquis (III) numerum

iniverit Fabularum, perverſiſſimarum narrationum & manifeſtiſſimarum hiſtoriæ Biblicæ corruptionum? guſtum aliquem ſi quis facere velit, hiſtoriam Joſephi ſaltē legat qualem Alcoranus tradit, qui modò *Vxorem Regis Ægypti*, mox *Viri alicujus Mezzara dicti conjugem Joſephum ad concubitum allicere voluiſſe* refert, & reliqua pro lubitu commiſcet. Quis credidit, homines emunctæ naris poſſe induci ad credendū, calamum exſtare longum quingentorum annorum itinere, latum octoginta annorum: Terræ centrum collocatum in cornu tauri, quo caput ob pondus quaſſante terræ motus fieri. Terram verò ipſam unà cum piſce quodam maximo in mari ſtare. Arcam Noæ aliquando mole & pondere ſimeti ab aliquo tabulati latere cœpiſſe inclinare, qua re perculſum patrem Noach, Deo conſulto, Elephantem eo loci adhibuiſſe, qui arcam tergo ſuſtineret, & cum Barrus ſimum proprium humano injeciſſet, ex eo ita commixto natam ſuem grandem. Suem mox iterum ſtercora commoviſſe, perque univerſam arcam fœdiſſimè projeciſſe, unde natus ſit mus. Hunc verò quòd arcam continuò roderet, periculum non exiguum omnibus creaſſe. Conſulto igitur denuò Numine, Noachum percuſſiſſe frontem Leonis, qui concitatus naribus ſuis felem ſternutando ejecit. Surat. XXXVI. Iſmael dicitur ſacrificio deſtinatus Deo, cum tamen Iſaacus is fuerit. B. Mariam Virginem matrem JESU ait fuiſſe ſororem Aaronis ſacerdotis, & Mariam ad truncum palmæ peperiſſe, cum tamen Lucas ἐν τῇ φάτνῃ contigiſſe memoret. Eliam Tisbitem, Joſephum & Moſen fuiſſe coætaneos refert, quos tamen multa ſecula interceſſerunt: Pharaonem, illum ipſum qui Joſephum Prorege habuit, Moſen perſecutum in mari periiſſe: Haman

4. II. 7.

etiam

etiam eodem cum Moſe tempore vixiſſe. Audiamus quoq; quàm inepta patrum ſeries recenſeatur Surat. XV. *Abraham, Iſaac, Jacob, Noah, David, Salomon, Joſeph, Moſe, Aaron, Zacharias, Johannes, Jeſus, Helias, Samuel, Hiskia, Loth.* Sanè ſciens ſi ejuſmodi ἀιτιορίας & παραχρονίσμους ſcripſit Mohammed, malitiam ejus id ſatis arguit; ſi neſcius, ignorantiam. Neutrum verè divinam ſcripto authoritatem conciliat.

XIIX. Videamus nunc (IV) quam ſublimia Myſteria Alcoranus revelet. Quicquid boni in eo reperitur id omne Sacræ Scripturæ debet. Propria ſunt: Dei manum frigidam eſſe, idque tactu expertum Mohammedem: Geſtari Deum in ſella: Cœlum & infernum ſeptem receptaculis diſtingui: Angelos oriundos eſſe ex igne: Et quæ his ſunt ſimiles theſes ſalutem non concernentes; falſæ inſuper & meræ nugæ. Si (V) in Doctrinæ ſanctitatem in quiſiveris, ſub *pelle ovium* ſimulatæ pietatis deprehendes ubique *Lupum rapacem* ſanguinem ſitientem, cædes ſpirantem, invaſiones ſvadentem, prædis inhiantem, vindictam propriã, quoad omnis ira plenè reſtingatur, omnisq; furor expleatur, permittentem: Atq; hujus generis plura, quæ recta ratio iniqua eſſe judicat. Quapropter etiam non rationibus, ſed armis Religionem perſuadere jubet: *Converti*, ait, *nolentes interficite.* De quâ pulchrè admodum pro more ſuo fatur Illuſtr. *Hugo Grotius* Libr. VI. de Veritate Relig. Chriſtianæ: *Hæc Religio planè ad fundendum ſanguinem facta multum ritibus gaudet, credig; ſibi vult nulla inquirendi libertate, unde librorum, quos ſanctos habet, lectio plebi interdicta eſt. Quod ipſum ſtatim manifeſtum eſt indicium iniquitatis. Meritò enim ſuſpecta merx eſt, quæ hac lege obtruditur, ne inſpici poſſit. Verum quidem eſt, non æqualem eſſe omnibus ad omnia cognoſcenda perſpicaciam, multos arrogan-* §. 2.

tia, alios affectibus, consuetudine nonnullos in falsum abripi: sed, ut via ad æternam salutem, cognosci nequeat ab his, qui nullo commodi aut honoris respectu eam quærunt, se suaque omnia Deo subjicientes, & eum pro auxilio orantes; bonitas divina vetat credi. Et sanè cum judicandi vim Deus inseruerit humanæ menti, nulla pars veri dignior est, in quam ea impendatur quàm illa, quæ ignorari sine amittendæ salutis æternæ periculo, non potest. Et profectò rectæ rationi quid minùs consentaneum, quid magis iniquum est, atque vi & armis religionem propagare. Cultus Dei nullus est, nisi ab animo volente proficiscatur. Hinc *Lactantius*, scriptor elegantissimus & purissimus, adeò, ut vulgo Cicero Christianus dici soleat; *Nihil est tam voluntarium, quam Religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Voluntas autem amplectendi religionem veram, docendo & suadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus quippe qui credit, revera non credit; sed credere se duntaxat simulat, ut intentatis periculis se subducat. Proinde frivolum etiam est quod afferunt argumentum de bellorum successu, & imperii magnitudine, quibus tamen sicut optimè monet Grotius nihil ad hanc rem est fallacius. Nam, ut *Benjamiintarum* victoriæ adversus tribus reliquas non erant signum gratiæ, vel bonæ causæ; ita nec Turcarum. Sæpius Deus fines intendit alios, quam nos cogitare possumus, aut intelligere. Sequetur ultor à tergo Deus. Non eventu sed justitiâ causæ bella sunt æstimanda. Ipsi sanè Mohammedani Paganica sacra improbant & rejiciunt, & tamen notum est, quantæ fuerint Persarum Macedonum, & Romanorum victoriæ: quàm latè eorum imperium patuerit. Quòd etiam Tyrannicæ istæ invasiones non constituant stabile imperiũ experti sunt Mauri Christianoũ victri-

Libr. X. c. 10.

Jud XX. 25.

victricibus armis totâ Hiſpaniâ quã occupaverant feliciter ejecti. (VI) Promiſſa Alcorani invitant homines ſub nomine Paradiſi in haram potius aut Lupanar, quàm incontaminatæ felicitatis Regnum, quod obſervatum etiam eſt politisſimo Lipſio in monitis Politicis. Non deſunt quidem inter Turcas & Perſas quibus ſpurcam libidinem beatis ſuis promittentia verba in ſenſum myſticum torquere labor eſt: Populo tamen uti ſonant & appetitui eorum accommodata ſunt inculcantur, neque is alia vel meliora bona, quàm voluptates ad omnem ſpurcitiem ſufficientisſimi corporis exſpectat. De noſtris Bibliis candidè *Auguſtinus* ſcripſit: *Si unum ſolum verbum falſum inveniretur, juſtum eſſet, quod totum Evangelium frivolum & vanum exiſtimaretur & fabuloſum.* Eadem lege agamus cum Alcorano quem apertis mendaciis, contradictionibus, fabulis, parachroniſmis ſcatere, frivola revelare, iniqua præcipere & vana promittere oſtendimus. Talis certè ſcripti virum prudentem puderet, tantum abeſt, ut illud Deo authori tribui mereatur.

XIX. Debebam quoque hic memorare Scriptores, qui adverſus Mohammedem ejusque ſectatores calamum ſtrinxerunt, quod verò jam tum ab Vltrajectino Theologo, Synodi Dordrechtanæ quondam Aſſeſſore *D. Voetio* factum Bibliothec Theol lib. II. & ab *Anton. Poſſevino* Biblioth. de Judæis. c. VIII. potisſimos quoque *Dn. Hornbeck* in ſum. Contr. enumeraverit. Nolo itaq; hic actum agere, præprimis cum liber hic in manu ferè omnium ſit. Supereſt quidem præterea, ut conſideremus, quid ad illorum converſionem fortè conferri poſſit atque debeat; ſed etiam hoc â laudato Dn. Hornb. libr. citat. p. 166. ut alios taceam, fideliter eſt præſtitum. Optandum ſanè eſt plures eorum reperiri

p. 81. Edit. Colb. Ao. 76.

periri, qui scriptis Lingua Turcica & Arabica exaratis Alcorani fraudes detegerent exemplo laudabili *Philippi Gvadagnoli* Malleanensis Cler. Reg. Minorum, qui Ahmedo filio Zin Elabedin Persæ Arabicè edito opere respondit. Non tamen impressi codices, qui suspecti sunt Turcis & Persis inter ipsos spargendi essent, sed manuscripti, quos faciliùs admittunt. Finiam hoc caput verbis Nobilissimi *Forbesii* Instruct. Histor. Theolog. libr. IV. c. 23. §. 7. *Corruptelæ apud Christianos, publica confessione conspicuæ, præsertim verò imaginum, & creaturarum religiosa adoratio, & missalis transsubstantiatio, hostiæq; cultus Judæos & Mohammedanos à Christiana religione reddunt alieniores, quibus sordibus per Reformationem ex Ecclesia tandem explosis, & in ordinem redacto Antichristo Romano, earum obstinatissimo & crudelissimo propugnatore, via pateret Judæis, & Mohammedanis, qua inoffenso pede ad Ecclesiam accedant, depositis q; suis erroribus, & abjecta contumacia, Domino nostro JESV Christo nomina suadent, sicut prædictum est in Apocalypsi cap. XVI. in phiola sexta.* De quo loco consuli jubet Parentis sui commentarium sectione IX. & sequentibus. Utinam & hæc & omnia obstacula penitus amoveantur, dissidia doctrinæ atque inde nata odia & persecutiones conquiescant, & cum externæ sanctimoniæ studiosissimi sint Turcæ, perdita vita multorum qui Christianorum nomine gaudent, emendetur, *ut nemini ullam offensionem præbeamus, ne vituperetur ministerium, vel nostrum bonum blasphemetur.*

2. Cor. VI. 10.

Rom. XIV. 16.

CAPUT

CAPVT VI.

De
Religionis merè naturalis insufficientia.

§. I.

CUm divinæ bonitati visum esset, *semetipsam non relinquere sine testimonio*; humano etiam animo vim quandam vividam naturaliter insitam esse voluit, quâ testimonia illa percipere, & per ea ad aliquam Dei cognitionem consurgere posset. Exserit illa se in intellectu nostro, quando terminis apprehensis prima principia pro veris statim agnoscit; prælucentibus his ad alia sese confert, quæ porro colligi possunt; & per applicationem ad ea, quæ sensibus sunt obvia in sublimioris veritatis notitiam penetrat. Dicitur communiter Lux vel Lumen naturæ, quia πᾶν τὸ φανερόμενον φῶς ἐστι, *quicquid manifestat lux est*: ejusque interventu & ope res creatas considerando testimonia ista de Deo intellectu assequimur, & manifestum nobis redditur τὸ γνωστὸν τȣ̃ θεȣ̃, *dum invisibilia Dei à creatione mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, nempe sempiterna ejus potentia & divinitas.*

Act. XIV. 17.

Eph. V. 13.

Rom. I. 19. 20.

II. Lumen istud naturæ quia Deus in nobis accendit, qui est ipsa veritas, non potest non esse bonum, ut proinde ratione rectè utentes, in eorum cognitionem, quæ verissima sunt, perveniamus. Radios istius lucis observat & excipit Philosophia vera, quam *Dei donum esse, & æternæ veritatis* παραγμὸν *avulsam particulam*, fatetur *Clemens Alexandrinus*. Revera enim per *Philosophiam* inquit *Jacobus Martini*, Philosophus, & Philosophiæ strenuus defensor, *illud in*

libr. I. Stromat.

Præfat. in Exerc. Met. P. IV. oper. P. 343. *solidum apprehendimus, quod Deus verum dixit, & dicendo creandove in ipsam naturam & rectam rationem impressit, impressumque contemplandum nobis exhibuit.* Quapropter etiam rectè judicante *Philippo Melanchtone: si qui vituperant artes, furiosi sunt, & nocent hominum vitæ, & Deum Authorem contumeliâ afficiunt. Nomino autem Philosophiam seu artes, notitias principiorum & demonstrationes, non quælibet somnia aut sophisticas præstigias & corruptelas.*

III. Æquissimum proinde est, nos lumini isto naturæ, illustri Dei dono ita uti, ut ante omnia Deum ipsum cognoscamus, cum certi simus, & eo fine vim istam menti inditam esse, & eam rectè exercendo nos neutiquam errare: [Deus enim deceptor non est, nec de semetipso falsum præbet testimonium] & dum ipso facem illam accendente ac præferente per creaturas, quasi *literas quasdam eximiam Dei & singularem circa omnia providentiam pariter & sapientiam legendo agnoscimus*, quod omni ex parte verum est, nos amplecti. Basil. M. Homil. de Grat. act. Verissima ergò sunt, quæ Philosophia genuina ex lumine naturæ de Deo ejusq; attributis tradit & Theologia naturalis proponit. Considerari vero Deus potest duobus modis (I) *juxta divinam naturam in se, absolutè, & cum suis attributis.* (II) *ut est summum bonum, quo frui homo desiderat.* Posteriorem rationem potissimum sectantur, qui Religionem aliquam perfectam ex iis, quæ naturaliter de rebus divinis nota sunt, condere laborant, hominemque officio suo ex lege naturæ cognito satisfacere jubent, ut virtute ad Deum accedens ejus gratiam & favorem consequatur, & immortali suâ animâ in æternum ipso fruatur.

IV. Fortassis non adeò absonum foret asserere, si viveremus

veremus adhuc in ſtatu integritatis, in quo lumen intellectus ſummâ claritate fulgebat, & viribus integris homo quæ juſta ſunt & divinæ voluntati perfectè conformia præſtare valebat, nullâ etiam extante revelatione cultum iſtum ad ſalutem æternam obtinendam ſufficere poſſe. Quia verò ſentimus, & experientia teſtatur illud etiam lucis quod nobis ſupereſt & affectuum nebulis non rarò involvi, & pro infirmitate noſtrâ non ſemper ut par erat applicari, imò frequenter neſcio quos ignes fatuos oriri, quos pro radiis veræ lucis habemus & temerè ſequimur: præterea quamvis *delectemur Lege Dei ſecundum interiorem hominem, videmus* Rom. VII. *tamen aliam legem in membris noſtris repugnantem legi mentis* 22. 23. *noſtræ, captivantem nos in lege peccati, quæ eſt in membris noſtris*, ita ut *non quod volumus bonum hoc agamus; ſed quod odimus malum, illud faciamus:* Temerarium prorſus eſt præſenti v. 15. hominum conditioni iſta ita applicare, ut ſummam Religionis conſtituant, hoc eſt, viam indubitatam oſtendant quam omnes calcare POSSINT uti debent; ita ut iſta præſtitiſſe SUFFICIAT ad obtinendum æternam beatitudinem. Quamvis enim pura Theologia naturalis nihil falſi tradat, & quæ Religio iſta, Naturalis dicta, inde petit, veriſſima ſint: non tamen docet Theologia naturalis iſta ad ſalutem homini in ſtatu præſenti ſufficere, & ad corrigendum noſtros defectus, nihil ulterius requiri. Commento igitur huic aliunde accerſito dum innititur & propter iſtud Religionis nomine venit, eatenus falſis meritò accenſetur.

V. Cohibuit procul dubio ſenſus infirmitatis noſtræ hactenus gentes omnes ne talem aliquam Naturalem religionem vel concinnarent, vel publicè reciperent. Nul-

lum sanè exemplum ullius populi vel ex præteritorum historia, vel de præsenti regionum statu proferri poterit. Reperti quidem sunt subinde pauci, qui viribus humanis nimium tribuerunt: sed brevi eos destituit sectatorum manipulus. Exciderunt etiam Patribus duriores quædam phrases, quarum tamen commoda & reliquis ipsorum scriptis consona dari potest explicatio. *B. Chemnitii* querela hæc est: *Nimia admiratio disciplinæ in non renatis, & virium humanarum, multum invexit tenebrarum in Articulum* de Justificatione. *Ita* Irenæus lib. 4. c. 30. dicit: *Patres antè legem promulgatam Justos fuisse lege naturæ.* Tertullianus adversus Judæos: *Noa, Abraham, Justitiâ legis naturalis justos fuisse.* Justinus Apol. 2. *Qui μετὰ λόγε vixerunt, Christiani sunt, etiamsi non novisse Deum existimati sint, quales apud Græcos fuerunt Socrates, Heraclitus. Eandem sententiam habet Epiphanius & Clemens Alexandrinus.* Videtur tamen *Irenæus* pariter ac Tertullianus saltem docere, qualem Legem ante Mosaicam operum suorum normam ex parte habuerint Veteres juxta quam quod verè justum esset agerent: nec in eo non, sunt, ut ostendãt, quô medio peccatores Deo fuerint reconciliati. Justinus dum liberius loquitur ad gentes, hoc vult, juxta legem naturæ viventes idem, certo modo, quod Christiani agunt, præstitisse. Verissima tamen sunt quæ *B. Chemnitius* superioribus subjungit: *Ex hujusmodi multis incommodè dictis tandem Pelagianismus extructus est.* Pelagiani enim asserebant, *antè legem salvos factos fuisse homines per naturam* referente *Augustino* L. I. contra Ep. Pelag. & Lib. de Pecc. Orig. c. 26. Confer. Histor. Pelag. *Gerh. Joh. Vossii* viri *magni, & diffusæ eruditionis*, teste *Philippo Labbe*, Jesuitâ Parisiensi. Ex orco in lucem revocavit hanc doctrinam anno 1592. *Franciscus Puccius*, Libro de Christi Serv.

L. C. de Justif. sect. IV. §. 7.

l. c.

Lib. III. part. alt.

In Biblioth. Bibliothecarum.

Serv. efficacitate, docens: *Omnes homines, antequam in adultâ ætate per naturalem malitiam degenerent, vi meriti Christi per naturalem Dei notitiam esse in statu salutis, etiamsi nominatim ignorent Christum.*

VI. Prodiere insuper hoc nostro seculo curâ *Isaaci Vossii* in lucem scripta duo Viri illustris *Edoardi Baronis Herbert de Cherbury & Castri, insulæ de Kerri in Hibernia*, quorum unum est *de Veritate prout distinguitur à Revelatione, à verisimili, à possibili & à falso*: Alterum *de Religione gentilium, errorumq; apud eos causis*: Utroque Religionem quandam naturalem tradere & commendare satagit. Capita illius constituit quinque: I. *Esse Deum summum. II. Coli ipsum debere. III. virtutem cum pietate conjunctam esse præcipuam cultus divini partem. IV. Horrorem scelerum hominum animis semper insedisse: adeoq; illos non latuisse vitia & scelera quæcunque expiari debere ex pœnitentia. V. Dari præmium vel pœnam tum in hâc vitâ, tùm post hanc vitam.* Subjungit istis cap. XV. inculcatis, sequentia: *Quapropter arbitror, quinq; hosce articulos tanquam notitias communes à Gentilibus selectas & à reliquis omnibus disparatas, & deinde tanquam Veritates incontroversas in foro interno habitas fuisse: alia porro omnia, quæ vel ex oraculis, revelationibus vel somnijs suis annecterent Sacerdotes, vel tanquam verisimilia tantùm accepta, vel tanquam impostoram olentia, rejecta prorsus fuisse.*

De Ver. p. 268. De Rel. Gent. p. 210.

VII. Rectæ rationi consentanea esse quinque ista capita libenter concedimus, ita tamen uti ab illustri *Herberto* traduntur & explicantur, non sufficere dicimus ad constituendam perfectam Religionem homines in gratiam cum Deo reducentem, & in eadem eos conservantem, ut salutem æternam consequantur.

VIII. Articulus. I. *Deum esse* rectè statuit. Cum autem hæc notitia, ut salutaris evadat, ab ipso authore sequenti articulo ordinetur ad cultum : Cultus autem qualiscunque sit, vero Deo, eidemque soli debeatur; & si actu religioso virtuti & pietati contrario deferatur ei quod non est Deus, non possit non vehementer Deo vero id displicere: res ipsa loquitur, Religionis, sibi ipsi si satis constet, esse, non solùm quod sit, sed etiam quis sit Deus unicè colendus homines certiores reddere.

De Rel. Gent. p. 186 IX. Articulus II. & III. de ipso cultu agunt, quem *Virtute & Pietate* absolvi pronunciat Vir Illustris. Virtutem cum Cicerone in his tribus verti ait: I. *In percipiendo, quid in unaquaq; re verum sincerumq; sit, quid consentaneum cuiq;, & quæ rei cujusq; sit causa.* II. *In cohibendo motus animi turbatos,* III. *In exercendo Temperantiam & Fortitudinem, quantum æquitas humanitasq; patitur.* Seorsim *Pietatem præcipuè esse in Deum, Deinde in Patriam, Parentes, propinquos, & benè meritos*, monet. De prima specie rursus loquitur verbis Ciceronis: *Non est ulla ergà Deos Pietas, nisi honesta de Numinine eorum ac mente opinio; cum expeti nihil ab iis, quod sit injustum ac inhonestum arbitrere.* Multa hic monenda essent, sed potissima saltem attingemus. Si virtutes cultum Divinum constituunt, exerceri illæ debent *propter Deum*, & *ex amore ejus super omnia*, non enim externus tantum debet esse, sed quàm maximè internus. Animadvertit autem quilibet, quanto intervallo absint actiones humanæ ab eo perfectionis gradu ad quem pervenire deberent : maxima igitur illa imperfectio non potest non Deo ingratissima esse, & ingratum ipsi reddere talem cultum. Accusante nos de eo nostrâ conscientiâ, Deumque minus propitium esse testante, quomodo potest homo cum, quem

De Rel. Gent. p. 188

rat. pro ODomo. s.

L. II. Offic.

vindi-

vindicem metuit & fugit, amare ſuper omnia, & amore iſto impellente cum fiducia operari. Accedit etiam quod *perceptio, quid in unaquaq; re verum ſincerumq; ſit, quid conſentaneum cuiq;, & quæ rei cujusq; ſit cauſa*, tanquam purè theoreticum cultum non importet, niſi per contortiplicatas quasdam conſequentias; & pari modo in quovis Numinis contemtore locum habeat. Quid verò dicemus de *cohibitione animi motuum turbatorum*, ut virium humanarum languor gloriam Phariſaicam ſtatim confundit. Non eſt quod exempla virtutis Gentilium quis objiciat, cum non ſufficiat ad cultum Dei, reprimere tantum & cohibere animi turbatos motus, ne in actus externos prorumpant; moresque quodammodo congruè ordinare, ut civilem honeſtatem referant. Concupiſcentia interea prava perpetua propenſione in malum, infeſtis, impuris, protervis, avaris, ſuperbisq; cogitationibus infinita exhalat, quibus coram oculis Dei qui arcana cordis ſcrutatur, polluitur anima. Actū inſuper erit frequentisſimè de rectitudine, ubi homini turbato relinquitur judicium plenum moderaminis, aut æſtimatio *quantum æquitas humanitasq; patiatur*, cum in ſui ipſius amorem totus feratur, ſuoque modulo omnia metiri conſveverit. Pietatem etiam in Deum non abſolvit opinio honeſta de Deo, nihil injuſti aut in honeſti ab eo expetens. Removet hæc particula externa aliqua inconvenientia & exigua ab ingenti Virtute, quæ dilectionem Numinis ex toto corde, tota anima & omnib⁹ viribus; fiduciam in ipſum filialem, humiliationem, ſubmiſſionem plenariam, gratiæ perceptæ agnitionem, gratiarum actionem, aliosque ſimiles excellentes actus includit. Paucisſimorum deniq; hominum foret iſta Religio, & vix unius atque alterius præſtantisſimas inter animas opus. Quotusquisq; *quid in unaquaq; re ve-*

re verum sincerumq; sit, & quæ cujusq; rei causa sit, assequitur; aut præcisè, & absque omni erroris formidine, quantum Temperantiæ & Fortitudinis æquitas humanitasq; circa singula patiatur dijudicat. Atq; in his cultus Deo debitus juxta Naturalistas consistit: Quisquis igitur hæc præstare nequit, nequeunt autem plerique; vel perfectè internis externisq; actibus inculpatis non absolvere valet; non valent autem omnes, is hujus religionis capax non potest dici, nec æternam salutem consequi. Viderint isti pietatem in bona opinione de DEO consistere agnoscentes, quomodo, dum perfectam Mediatoris pro nobis præstitam legi Dei obedientiam, gratiam supernaturalem quam nos veneramur & â Patre cœlesti impetramus, sanctiq́ue Spiritus regimen spernunt, superiora omnia cum justitia & providentia Dei, ejusque propensâ in omnes bonitate conciliare possint.

X. Tanta vis est conscientiæ, ut inventorem Naturalis istius Religionis viribus naturalibus nimium tribuentem seriò admonuerit: *Omnes peccasse, & deficere gloria Dei:* tales verò non promissorum Articulo V. *præmiorum* participes fore; sed *pœnas* daturos esse. Ne igitur omnibus omnino viam salutis præcludere videatur, Articulo VI. monet. *Vitia & scelera quæcunq; expiari debere ex pœnitentia.* Pœnitentiæ nomine quid exigat, alio loco ostendit, dum scribit: *Quod nobis POENITENTIA sonat, illis Gentilibus DOLOR PRO PECCATIS ILLIS quæ iram divinam accersèrent procul dubio fuit.* Non possumus autem plura ex ista descriptione exsculpere, quam hominem agnoscere debere se erraſse & perperam egisse, angi propterea, & displicenti peccata detestari, imò, si fieri posset, facta infecta reddere velle.

Rom. III. 23.

Libr. de Relig Gen. p. 198.

XI.

XI. Cum impossibile sit, hominem in gratia esse apud Deum, quamdiu peccatis immersus iisdem delectatur, manifestum est etiam, pœnitentiam esse necessariam ei, qui Deo reconciliari cupit. Atque hæc constans est Ecclesiæ Christianæ doctrinæ, quæ cum *Ambrosio* novit, *exspectare Deum gemitus nostros temporales, ut remittat æternos: exspectare lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam.* Jubemur etiam *scindere corda*: Non tamen sufficere censemus Contritionem solam ad impetrandum delictorum veniam. Si enim talis dolor ex se sufficiens est medium consequendi gratiam, vix ullus erit, qui post hanc vitam pœnam sentiat, quam tamen Naturalistæ metuendam proponunt: quia puniendi cruciabuntur majori dolore, angore ac horrore, atque vix ullus mortalium, & peccata commissa extremè detestabuntur. Considerandum hic illud potissimum est, quod peccator primò offendat Deum, legem violando injurius in ipsum: deinde facto ipso, quo à rectitudine discedit, culpam contrahat, propter quam in reatu est, & pœnas dare tenetur. Cum autem factum infectum reddi non possit, manet perpetuò culpa & reatus, quamdiu non intervenit sufficiens medium, quo & Deo satisfiat, ut offensa tollatur, & ab homine aufertur culpa. Dolor autem ob perpetrata scelera culpâ neminem exuit, sed perpetuus esse potest, illâ simul perpetuo durante, nec de eo minimo Judici interim satisfactio præstatur. In talibus enim obligationibus & eis contravenientibus actionibus, quæ juri tertii derogant, uni^o partis pœnitentia dolor & detestatio nexum non solvit, sed tenetur insuper alteri satisfacere: Quemadmodum, qui vim intulit alteri, famæ ejus detraxit, aut bona præter fas eripuit, licet dolorem concipiat, nihilominus obstrictus manet ad præstandum satisfactionem omnimodam læso, qui suum jus prosequitur.

libr. I. de pœnit. c. 4.

Joel. II, 12.

XII. Blandiuntur sibi quidem cum illustri *Herberto* Naturalistæ securè pronunciantes : *Si Justitiæ divinæ haud factum satis ex pœnitentia dixissent, hisce ita occurri tum temporis potuit:* (I) *Deum summum esse Patrem communem, adeoque in filium pœnitentem haud graviter animadversurum:* (II) *Homines naturâ suâ fragiles, peccatoq; obnoxios esse.* (III) *peccata hominum non tam in Dei contumeliam, quam in propriam utilitatem sub boni alicujus apparentis obtentu fieri plerumque, ac licet in eo homines fallerentur, nihil tamen infenso in Deum animo patratum fuisse:* (IV) *pœnam in hac vita satis gravem ob peccata hujusmodi infligi posse.* (V.) *si ulterior aliqua irrogari debeat pœna, Deum summum post hanc vitam ad tempus aliquod breve vel etiam diuturnum supplicium de peccatoribus sumere posse.*

De Relig. Gent. p. 199

XIII. Actum erit de conscientiâ peccatorum recordatione & sensu iræ divinæ prostratâ, si non alios quam exsiccatos istos consolationũ fontes quos adeat habet. Evanescunt ista omnia inter pavòres tentationum, & nil nisi desperationem talibus innitenti relinquunt. Etenim ad (I) statim reponit animus, Pater est Deus morigeris filiis; peccatoribus justus judex. Si pietas exigit, *ut nihil quod justitiæ adversatur, ab eo expetamus*; quomodo exigere ab eo possumus, ut nullius satisfactionis interventu solius pœnitentiæ intuitu, quæ nihilominus adesse debuisset, injuriam dissimulet. Bonus est Deus: sed etiam justus est, nihil derogare potest bonitas justitiæ, sicut nec justitia bonitati. *Fragilitatem humanam* (II) neminem excusare, quis nescit : cum ipsa cultus perfectio, quam agnoscentibus Naturalistis Deus exigit, subinnuat, homini, â quo talem cultum Deus primum sibi exhiberi voluit, non defuisse vires, quibus illum absolvat. Sed eas nobis non adesse fatetur, qui de fragilitate queritur. In Deum amissi-

missionis culpam referre non licet: nostrâ igitur culpa miseri sumus, hoc ipso etiam Deo exosi. Num verò omnia peccata simplicis infirmitatis lapsus censeri merentur? Aliud cuique sua ante oculos ponet conscientia, innumera deliberato animo commissa in memoriam revocans, quibus fragilitatem nostram prætexere, & infirmitate accusatâ à Deo omniscio veniam sperare non licet. (III) Impia prorsus est extenuatio peccatorum, quod non sint facta in contumeliam Dei, sed nostri commodi intuitu. Annon blasphemiæ Numinisque supremi exsecrationes, quas perditos quosdam evomere non sine horrore audimus, directè in contumeliam Dei vergunt. Istis igitur apud Naturalistas non relicta est excusatio, desperandum est? Reliqua verò omnia peccata pariter in contumeliam Dei fiunt, dum homo Legislatoris voluntati repugnat, & insuper habendo quid jubeat, quid vetet ille, revera ipsum contemnit, atq; hoc ipso tanto graviori contumeliâ afficit, quod speciem quandam commodi proprii autoritati supremi Numinis præfert. (IV.) & (V.) Conjecturis nituntur nec penes reum est, quantam pœnæ subire conveniat, æstimare: sed pendet à Justitia Judicis hujusq; voluntate recto conformi. Ostendunt autem alii temporales pariter atque æternas pœnas jure exigi ab eo, qui peccando in Justitiam Dei infinitam iram ejus exacerbavit. Imò ipse Illustris Autor fatetur: *Malos mala in æternum manere.* Religion. Gent. p. 210

XIV. Facit præterea Ill. Baro *Fidei* etiam mentionem, dum ait: *Hoc solummodo dicimus, (quicquid in adversam partem à quibusdam suggeratur) quod, nisi sola ex POTENTIA & FIDE IN DEVM vitia & scelera quæcunq; eliminari possint, & Justitiæ divinæ bonitas divinum adeò sit λύτρον, ut non sit ulterius, quo provocetur, nullum universale ita patere, vel olim patuisse remedium, ut fuerit, quo confugeret misera ex peccati sensu languentium turba, vel haberet, unde gratiam & pacem illam internam conciliaret.* p. 277. Per fidem autem nihil aliud quam spem aliquam in Bonitate Dei intelligit, quæ condonare possit peccata, remittere pœnam, & tollere culpam absque ulla satisfactione, & hoc modo ipsa justitiæ esse λύτρον. Eò igitur jam deventum est, ut quicquid POTEST Deus, in subsidium vocetur. Cum non solùm temerarium sit conjecturis nostris illa metiri;

sed quàm maximè istud in quæstionē veniat: *quid Deus VELIT.* Non omnia quæ potest Numen pariter etiam intendit: dantur enim sæpe plurima ad eundem finem ducentia media, quorum tantùm unum pro sua sapientia, & beneplacito eligit. Non invenit autem fiducia in quo acquiescat, quamdiu saltem circa ea versatur, quæ Deus præstare potest: Utpotè quæ tunc demum, quando certior redditur, quid velit Dominus, plenè habet cui firmiter innitatur.

XV. De voluntate divina certò constare potest nemini, nec ubi dantur diversa media, quo uti decreverit, exploratum esse potest, nisi ipse revelaverit. Necessaria igitur est revelatio. Potest tamen per revelationem patere *universale remedium, quo confugiant miseri, ut habeant, quo gratiam & pacem internam* obtineant. Ignorat autem & repudiat Revelationes omnes fictitias ista naturalis Religio: eam ergo insufficientem esse ad obtinendum reconciliationem cum Deo, & consequendum æternam beatitudinem firmiter concludimus.

De Insuffic. Rel. natur. §. XXII.

XVI. *Relinquitur itaque hinc*, verba sunt B. Dn D. *Titii, imprudenter facturum Naturalistum, si revelationes divinas, qua laudantur, flocci facere velit. Inter quas cum celeberrima, antiquissima, & maxima probabilitate circumvestita sint illa, quas orbis Christianus florem ipsum generis humani (h. e. quicquid eruditione excultum, & hinc de rebus judicare, iisque justum pretium statuere idoneum est) ambitu suo complexus, tot seculis cum Θεοπνευστους agnoscit & veneratur; illas minimùm prudenter non poterit aspernari, sed studio minimè vulgari sibi cognoscendas esse existimabit. Quod ipsum ubi fecerit, & ad fatrum illum ignem, ut sic dicamus, proprius accesserit, calefiet quantum est satis, (sicuti comitibus Christi Domini in via Emmautica, dum hic loqueretur cum ipsis, cor intus incipiebat ardescere,) & flammula Christiana fides de pectore ipsius (nisi malitiosè eam supprimat) certo certius prorumpet.*

Luc. ult. vers. 32.


Quibus desideratissimi mei Præceptoris verbis qualicunque huic labori finem impono, Deumque, cui devotè gratias ago, cum Ecclesiâ ardentibus precibus adoro; Velit ipse *Sanctam Christianam Ecclesiam in unitate Spiritus conservare & gubernare: Sectas omnes & offendicula sufflaminare: Omnes errantes & seductos in viam revocare: Omniumque hominum misereri.*

FINIS.

Errata typogr. sic corrigenda: p. 5. l. 7. cœperunt. p. 6. l. 27. quintæ & sextæ. p. 16 l. 16 tardiore, l. 21. posset p. 20. l. 7. gleba. p. 35. l. 16. nunc attinet controv. p. 37. l. 5. consilium. p. 38. l. 7. Græcorum. p. 40. l. 20. benef. p. 42. 26. Maim. p. 44. l. 11. Ægyptius. pag. 47. l. 17. descript. p. 48. l. 22. plures Deos. p. 48. 32. Sol. p. 49. 1. Sol. p. 51. 29. grandæ vos. p. 55. 27. diversa. p. 57. l. 9. *Origenes*, p. 60. 23. Salomonis. l. 30. Nabuchod. p. 61. 12. Sabbatium. p. 63. 6. commemorant. p. 69. l. 7. *Primæ* pauc. p. 74. l. 17. exserto. p. 78. l. 23. Patriarchæ. p. 79. l. 27. posterioris. 83. l. 15. c. III. v. 1. p. 91. l. 11. reputaret. p. 98. l. 3. Test. hoc primus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0130

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0133



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn849500303/phys_0134

ſerens, quod iſta utriusque rei ἰσοσθμία
ſuerit commendabilis, facile colligimus e
ri illo, quo Deus ipſos dignatus eſt, com-
In hoc enim, per crebriorem θεοφανίαν illu-
major effloreſcebat erga Deum *fides*, quo
t iſtius familiaritatis gratia. Ab iſta autem
m una cum ſanctimonia, qualem juſtum *fi-*
ficium requirit, abfuiſſe, ſatis cognita & ab
comprobata ipſorum integritas ut ſuſpi-
bis haud permittit. Qui iſtius elogii, quo
התהלך את הא *τὸ ambulare cum ſeu coram*
ur Gen. V, 22. 24. c. VI, 9. c. XVII, 1. em-
mediocriter tantum perſpicit, is ſane
fidelitatem tam arcte deprehendit jun-
hil & arctius & aptius cohærere poſſit.
ia prophetica unum tantum atque alterum
ducturus commendo meditationem in au-
Davidis Pſ. II, 11. *Exultate cum tremore*, freuet
ttern: & iſtud Jeſaiæ, ſeu apud ipſum ipſius
XLV, 24. *Omnis lingua jurabit, dicens, in Je-*
re juſtitiam & robur.
ad *exultationem* eſt evangelica, *fidem*, ſeu *fi-*
e filiorum eſt erga Deum, & quæ redem-
erga redemtorem Meſſiam, accendens &
iſta vero ut in juſto ac demiſſo ſeſe officio
eidem adjungitur *tremor*, quem regia re-
majeſtas iis, qui paupertatis ſuæ ſpiritualis
ignitatis ſenſu premuntur, incutit; at ita
s, ut, pro adjuncto gaudii ſpiritualis privi-
um non dejiciat, ſed tantum ad demiſſam

fide-